Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de


Johannes Assuerus Ampzing

Dissertatio Iatromathematica : In Qua De Medicinae Et Astronomiae praestantia, deq[ue] utriusq[ue] indissolubili coniugio disseritur: tum vero ipsa etiam Astrologia, quae pars est Astronomiae ... a contemptu quorundam vindicatur

Rostochii: Reusnerus, 1602

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727145347

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727145347/phys_0001
DFG

81. a. 4.

Ma — 1037.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727145347/phys_0002
DFG

Disertatio IATROMATHEMATICA.

IN QVA

DE MEDICINÆ ET ASTRONOMIÆ præstantia, deq; utriusq; indissolubili conjugio disseritur: tum verò ipsa etiam Astrologia, quæ pars est Astronomiæ (quatenus quidem arti Medicæ inserviens, & rationibus physicis, & gravissimorum hominum observationibus, procul omni superstitione, nititur) à contemptu quorundam vindicatur.

Ex Bibliotheca Academica Rostochiensi

Authore
A. A. T. Med. D.

ROSTOCHII
Excusa apud Christophorum Reusnerum.
Anno M D C II.

VIRO CL. ET DOCTISSIMO,
Medico excellenti,

IOANNI ASSVERO D.

ARgutè totam docteq́; Machaönis artem
Parvo complexam das, ASVERE, libro.
Dignus, quem redament Gallus, Germanus, Iberus;
Cui surgant veteris pulpita docta scholæ.
Macte! nec hoc sat sit: MEDICO TE, RVSSICA tellus
PRINCIPE cum MAGNO, quo sibi plaudat, habet.

Joannes Simonius Oratoriæ in Acad.
Rostochiensi Professor: ejusdemq́;
p. t. Prorector. f.

ABdita Naturæ dum tu mysteria tractas,
Et reseras Medici claustra profunda adyti,
ASSVERE, ô Sophiæ & Panaceæ haud segnis alũne, &
Spes, queis Persephone stat super atra caput:
Obstupui sive Astronomi penetralia pandis,
Seu Medici, sive hos conjugio socias.
Nempe his Arctöus nil ingeniosius axis
Vidit, & in Septen- nulla -trione plaga.
Quisquis es, Invidiæ cave sacra hęc dente lacessas,
Vindice non caret hæc pagina dia DEO.

Eilhardus Lubinus Poëseos in Acad. Rostochiensi
Professor, & facultatis Philosophicæ p. t.
Decanus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727145347/phys_0006
DFG

Lvmina lege patet ſtabili cœleſtia ferri,
Sidera per certas ire, redire vias.
Aſtrologos quare quis Raſtrologos vocit abit,
Hos minus exactè noſſe futura, canens?
Machina non cœli, non ars certiſſima peccat,
Sed DEVS eventum dirigit, aſtra tenens.
Idcircò ASSVERI ſunt digni laude labores,
Debetur magno gloria magna viro.
Non Medicum, potiùs Mendicum dico, nec Aſtris,
Sed Raſtris dignum, quem fugit VRANIA.

Johannes Poſſelius Græcæ Linguæ
in Acad. Roſtochienſi Profeſſor.

DVm ſapit Andreas Laurentius alta, profundè
Deſipit: aſtra docens caſſa ſubeſſe polo.
Tu veri rectiq; cliens, pendentia ab aſtris
Omnia, vitam hominum, fata neceſq; doces.

Laurentius lib. 3. de criſ. cap. 6.

M. Henricus VVarenius Roſt.
Med. Cand.

SOl ut aquas ſeparat; bibit optima, peſſima linquit:
Vera, ASSVERE, tibi, falſa fugando, legis.
Conjugium dicis quem das, ASSVERE, libellum;
Rectiùs an mavis dicere disjugium?
Iſte ſed ecce legens pallet, ſtupet invidus, odit.
Dic, ASSVERE, placent num tua ſcripta tibi?

Theodorus Glazerus
Dithm. LL. St.

AD PERQVAM ILLVSTRISsimum, Sereniſſimum, Potentiſſimumq; Principem ac Dominum, Dominum

BARISS FODROVVITZ,

DEI GRATIA IMPERATOREM ac Dominatorem totius Ruſsiæ, Voledimeriæ, Moſchoviæ, Novogrodiæ; Imperatorem Caſanæ, Aſtracanæ ac Sibiriæ: Dominum Pleſcoviæ: Magnum Ducem Smolentiæ, Tverſcoviæ, Jugoriæ, Permniæ, Vetchæ, Bulgariæ, &c. Dominum ac Ducem Magnum Novogrodiæ inferioris terræ, Cernigoviæ, Razaniæ, Volotchiæ, Rezeviæ, Beſchiæ, Roſtoviæ, Jaroſlaviæ, Belozariæ, Vdoriæ, Obdoriæ, Condinæq;, &c. Imperatorem ac Dominum Ifferiæ, ac regni Gruſingorum Cabbardingorumq;, Zyrcaſſorum & Igorſcorum: prætereaq; aliorum quum regnorum tum populorum, longè latèq; diffuſorum, Imperatorem ac Dominatorem ſemper invictum ſemperq; auguſtum.

Pariterq;

AD HONORATISSIMOS, PRVDENTISsimos, Clariſsimos Conſultiſsimoſq; Dominos,

DN. GODHARTVM AB HOVELEN,
DN. ALEXANDRVM LVNÆBVRGIVM,
DN. JACOBVM BORDINGVM, celeberr. I. V. D.
ET DN. CONRADVM GERMERVM,

Ampliſsimos Vrbis LVBECAE Conſules.

Vetus

VEtus est dictum, IMPERATOR INVICTISSIME, DN. COSS. AMPLISSIMI, Ars non habet inimicum nisi ignorantem. Hippocratica medēdi ratio, quòd olim displicuerit tam Empiricis quàm Methodicis, non alia est factum de causa, quàm quòd illi eam ignorarent: sive quòd ignaviores, sive quòd hebetiores essent ad discendum. Alij artem oderunt ob aliquid non quidem artis, sed circa artem perperam administratam contingens. Quomodo Cato ille Romanus, qui ipse medicamento quopiam usus quàm felicissimè, quum solâ ductus experientiâ idem uxori etiam & filiæ (nulla neq; ætatis neq; sexus aliarumq; indicationum medicarum habita ratione) propinare instituens, utramq; miser ausu planè temerario, interfeciſſet: mox culpam non sibi imputans sed arti, illam diris devovit censuitq; urbe ejiciendam. Quod de Medicina dixi: idem & Astronomiæ contingit arti præstantissimæ. A quibus autem? Primùm ab indoctis, qui, quod nō didicerunt, reprehendunt tamen. Deinde ab ijs, qui ob quotidiana quædam delicta Calendariographorum circa

ca Astrologiam commissa, artem omnem rident. Deniq; ab illis, qui cùm (si Dijs placet) magni medici & esse & haberi salutariq; velint: tamen Astronomiam cum Medicina necessariò conjungendam esse: imò artem Medicam sine Astronomia mancam & mutilam, adeoq; nullam esse nunquam didicerunt. Singulare genus hominum, nescio equidem superbiusné an indoctius, iam olim à doctissimo Galeno, itidemq; & ab ipso Aristotele segnitiei graviter accusatum. Certè *Canes in balneo* sunt, quicunq; cœli astrorumq; imperiti medicinam factitare non verentur. Quæ quidem ipsorum imperitia tanto est pernicioſior, quanto nobilius est, circa quod versantur, subjectum. Cùm enim compluribus in morbis sit, dicente magno Hippocrate, quicquam divinum, sintq; morbi quidam cœlo nati, quippe ex pernicioſa siderum permistione scaturientes, qui non in intemperie, non in humorum colluvie ſocum ſuum habent, sed solâ occultâ malignitate ſubstantiam nostram demoliuntur: utiq; frustanea erit, quæcunq; his curandis adhibebitur vel intemperiei castigatio, vel humorum expurgatio; nec frustranea modò, verùm insuper & pernicioſa calamitoſaq;. Dum enim partes, & intemperie & humorum colluvie carentes, intempestivo alteran-

De dieb. decret. lib. 3. cap. 12. Libro de mund. c 1.

alterantium purgantiumq̃; medicamentorum usu vellicantur; certè & vires dejiciuntur, & ipsa tandem anima ejicitur: manente interim malignitate, quæ non intemperiei commoderationem, non putredinis evictionẽ flagitabat, sed vi cœlesti imbutum aliquod alexiterium. Digna certè res, in quâ tractanda præclarissima quæq̃; ingenia & cum laude & cum fructu desudare meritò deberent: sed quæ ob difficultatem à plerisq̃; negligitur. Hoc utiq̃; de me ingenuè fateri possum, quòd, quemadmodum ijs quotidiè circa ægros curandos occupationibus defatigor, quæ vel solæ totum hominem requirant; ita scripturiendi cachoëte minimè distinear, malimq̃; tantâ de re alios dicentes otiosus spectator audire, quàm ipsus dicere: fecit tamen occasio, ut in publicum prodire tandem sustinuerim, artes tam præstãtes, tam humano generi utiles, tamq̃; necessarias, Medicinam dico & Astronomiam, ab imperitorum quorundam vindicaturus cõtemptu, deq̃, earundem indissolubili conjugio disserturus. Sed n. dicat quispiam, quænam verò illa occasio? Dicam sanè & quidẽ ingenuè syncereq̃; dicam, quanam ad dicẽdum occasione sim non tàm adductus quàm impulsus. Dum jam annos aliquot & præceptum & exemplum secutus magni Hippocratis (absit verbo invidia) ultro

Occasio hujus Dissertationis scribendæ.

tro citroq; incertis vagor ſedibus, & quid quævis regio, tum in rebus naturalibus, tum in ratione medendi peculiare habeat diligẽter obſervo: ſubijt mihi tandem in mentem, vergente paulatim ad vigorem ætate, locum quempiam deligere, ubi pedem preſsiùs defigam. Itaq; jam Boreæ ſatur ad meridionaliores Europæ plagas veſtigia retro lecturus, ſolumq; verſurus (ut hoc poëtico dicendi genere uti jam hîc mihi liceat) mecum ſtatuo, non eſſe inſalutato, quod ajunt, hoſpite diſcedendum. Vrbs ſiquidem Lvbeca, quæ me à primo ſtatim acceſſu ſvaviter cõplexa eſt, ac deinceps veluti in ſinu fovit, hoc certè de me eſt merita, ut ejus, *Dum Spiritus hos regit artus*, ſervem memoriam cum gratitudine. Poſtremò etiam (ſive id prudenter contigerit, ſive caſu, ſive fato aliquo) Magni Moschorvm Imperatoris illa mihi jam diſceſſum meditanti per Legatum oblata exhibitaq; fuit clemens benevolentia; quam niſi agnoſcam, ingrati hominis crimen utiq; effugere nequeam. Itaq; hæc mihi ſcribendi occaſio, hæc cauſa fuit: ut jam longiori ſermonis ductu explicandum mihi non ſit, ecqua de cauſa pro communi ſcriptorum more, te maxime Caesar, voſq; ampliſsimos celeberrimæ urbis Consvles patronos delegerim, quorum authoritate nixa hæc mea qua-

Cauſæ dedicationis

qualiscunq; dissertatio in publicum prodiret, nihil vetita venenatos malevolorum quorundam Zoilorũ dentes. Sed verò præter rationes illas privatas, jam & publica accedit illa, quòd tua imprimis Majestas, IMPERATOR INVICTISSIME, aliquot in Moschoviam è Germania atq; aliunde medicis evocatis; quanto in pretio non ipsam modò artem, sed artis etiam professores haberet, testatum fecerit. Deinde quòd vos etiam amplis. DN. COSS. non medicos modò, sed omnes in universum viros doctos penè incredibili humanitate complectamini: quod quidem si demonstrare instituam; perinde fecero, ac si Solem meridianũ lucere magno conatu ostendere laborem. Jam si patronus aliquis quærendus erat dissertationi meæ contra malevolos potens & augustus: certè te uno, MAXIME IMPERATOR, neq; augustior erat quispiam neq; potentior. At quia M.T. præsentiam ingens locorum intercapedo videri possit hinc longiùs dirimere: vos amplis. DN. COSS. ij mihi visi estis, qui in hoc patrocinio capessendo gerendoq;, & CAESAREAE M. operam vicariam sufficere, & vestro etiam nomine vel uno & solo, opellam hanc qualemcunq; meam, adversus lividos indoctorum quorundam morsus protegere, & positis, &, quæ vestra est humanitas, velitis. DEVM ter Opt.

Opt. Max. obnixè rogo, ut quemadmodum indissolubile inviolabileq; est Medicinæ & Astronomiæ conjugium: ita vestram utriusq; & animorum & commerciorum conjunctionem permulta deinceps secula clementer ratam esse velit, servetq; perpetuam.

Cum itaq; res, de qua dicturus sum, reverà longè maximi sit momenti, quippe quæ & ipsum naturalis Philosophiæ nucleum durissimo è cortice effringet: & universam medendi methodum ceu in gyrum coget; quæ hominis quo è fonte vel sanitas vel pernicies scaturiat, nescio majorine brevitate an perspicuitate docebit; quæ undè medicamentorũ vis omnis dimanet; undè omnis medendi ratio potissimum dependeat, dilucidè ob oculos ponet: quæ à summo cœli vertice ad intimum usq; terræ centrum, mundi compagem pervagata, occulta naturæ mysteria ceu in apricum eruet, ac stupenda miracula enarrabit: quæ quàm efficaci vi cœlum quintum elementum inferioribus quatuor commiscendis, contemperandis, afficiendisq;; rebus itidem gignendis, augendis, afficiendis, mutandis, deniq; & corrumpendis, ac vel rursum in elementa prima resolvendis vel ad capessendam novam aliamq; formam adornandis incumbat: quantaq; hinc in rebus naturalibus

exur-

exurgat varietas, quàm arctæ amicitiæ, quamq; implacabiles inimicitiæ in omni prope rerum genere oriantur, sive animantia sint perfecta vel imperfecta, sive stirpes, sive lapides & metalla, edisseret: quæ in affectibus dinoscendis; in medicamentis colligendis, adornandis, propinandisq;: in rerum non naturalium usu imperando: in externis adminiculis, quæ topica & cheirurgica appellant, adhibendis: syzygias siderum accuratè observandas esse, non ex quadam præsumptione nova, sed ex ipsismet magni Hippocratis & Galeni imprimis, deinde & aliorum gravissimorum hominum monimentis demonstrabit: Tuam imprimis Majestatem MAXIME CAESAR, vosq; deinde amplissimos DN. CONSULES, me ut dicturum clementer benigneq; audire, atq; dissertationem meam sereno excipere vultu ne dedignemini, qua debeo ac possum observantia, etiam atq; etiam rogo.

Erunt autem propositiones meæ tres: I. Artis medicæ præstantiam ob oculos ponam. II. Astronomiæ dignitatem depingam. III. Conjugium harum duarum artium indissolubile tam liquidò ostendam; ut illos meritò pudere debeat, qui Astronomiæ ignari, tamen Medici, & quidem Propositio

dem Doctores Medicinæ dici volunt. Etenim arte Medica in suas dissectâ partes; in Physiologica demonstrabo nihil uspiam gigni sive è terra sive ex aqua, nisi cœli atq; astrorum efficiente vi: nihil etiam ullis uspiam rebus inesse virium, quod non cœlo debeat acceptum ferri: In Pathologica, nihil itidem corrumpi nisi eâdem à cœli vi ostendam; adeò ut morbi temperamenti materiæq; & ipsi remotiorem causam suam agnoscant cœlestem; morbi verò occulti & totius substantiæ non ab elementis, sed à sola pernicioſa siderum permistione originem suam trahant. Deniq; in Therapeutica docebo magnam cœli & astrorum esse habendam rationem, sive morbi sint dijudicandi; sive crisium eventus prænunciandi; sive radices effodiendæ, stirpes decerpendæ, pharmaca præparanda exhibendavé; sive victus ratio præscribenda; sive præsidia Cheirurgica administranda. Dehinc confutatis quibusdam argutiolis, quæ contra unamquamq; harum propositionum à nasutulis quibusdam objectari solent: tandem Epilogo concludam.

I. DE

I. DE MEDICINAE PRÆSTANTIA.

TANTIS ipsa DEI vox, Medicinam ornavit elogijs, ut non possit non magno haberi in pretio ab omnibus: Certè contemni nequit nisi ab extremè impijs & indoctis rerumq; imperitis. *Honora*, inquit Ecclesiasticus ille, *medicum propter necessitatem: etenim illum creavit Altissimus. A DEO est omnis medela: & à Rege accipiet dominationem* (alij vertunt stipendium) *Disciplina Medici exaltabit caput illius, & in conspectu Magnatum collaudabitur. Altissimus creavit de terra Medicinam: & vir prudens non abhorrebit illam.* Quin imo Christus Servator noster ad exprimendam officij sui rationem, semetipsum Medico comparavit, & salutarem mortem suam Medicinæ nomine insignivit. An verò quicquam ad Medicinam commendandam vel augustius dici poterat vel verius? Illud imprimis notandum, quòd divinus ille Sapiens non contentus dixisse, Medicinam esse à DEO: sed & Medicum honorandum esse, insuper argumento necessitatis confirmet. Quare cùm aliæ artes vel à jucundo, vel ab utili, vel ab honesto commendentur: hæc insuper ipsa immutabili necessitate,

Medicinæ author Deus.

Eccles. 38.

sitate, ipsissimo Dei ore commendata, ceu una omnium artium Imperatrix & Regina triumphat. Et quamquam aliarum artium quædam, etiam necessitatis argumentum quodammodò vindicare sibi posse videantur: tamen comparatione habita, nihil illæ ad nostram hanc, si de ipso necessitatis gradu sit disceptandum. Solent Artes laudari ab antiquitate: Ergo ars Medica laudatissima, quia antiquissima. Etenim tàm est antiqua quàm est ipsa necessitas: Illa verò unà cum peccato in mundum introijt: Ergo jam inde ab ipso primorum parentum lapsu Medicina oriri cæpit. Addo aliquid amplius, nempe vim medicinalem inditam fuisse herbis virentibus homine nondum creato: quomodò & agnus ille Dei nullo dum immisso peccato, ab exordio mundi mactatus dicitur, hoc est, mactationi destinatus: adeò providus misericordiarum pater necessitati humanæ nondum existenti præconsultum voluit. Quid multa? Iam inde à prima rerum origine fuit Medicina. Quod quidem si negare mihi ausit quisquam: hunc non jam alio dignum docendi genere ad corvos ablegabo, & graculos, & pantheras, & dracones, & serpentes, & canes, aliaq; bruta animantia; ab ijs ut discat simul unà cum natura enatam fuisse medicinam & rationem medendi. Cedò enim quis Hippopotamum venam sibi secare docuit, & plagam rursus limo obducere? Quis Ibi avi Ægyptiæ injiciendi clysteris primus author fuit? Quis cani gramen ad ciendum vomitum monstravit? Quis cervo ostendit vel dictamnum ad sagittas venatorum extrahendas, vel cancrorum esum

Medicinæ antiquitas.

Plin. lib. 8. cap. 26. & 27.

esum ad ictus phalangiorum persanandos? Quis chelidonij usum hirundinibus aperuit, aut illam patefecit herbam, quam ingruentibus autumni tempestatibus ore prehendentes in profundissimos lacuum stagnorumq; gurgites catervatim sese ceu cubitum ituræ demergunt, ibiq; magno Naturæ miraculo in unius herbæ elucente viribus, placidè consopitæ quiescunt, tantisper dum omni sedatâ brumæ sævitia rursus appetente jam vere, à fæcunda rerum parente Natura alacriores vegetioresq; ad opus excitentur: stimulato in ijs speciei propagandæ desiderio? Testudo cunilæ herbæ pastu vires contra serpentes refovet: mustela rutæ, in murium venatu cum ijs dimicatione conserta. Ciconia origano: hedera apri in morbis sibi medentur, & caucris vescendo, maximè mari ejectis. Anguis hyberno situ membrana corporis obducta: fœniculi succo impedimentum illud exuit, nitidusq; vernat. Idem hyberna latebra visu obscurato: marathro herba sese affricans, oculos inungit ac refovet. Si verò squamæ obtorpuere; spinis juniperi se scabit. Draco vernam nauseam sylvestris lactucæ succo restinguit. Recreat seherbæ nepitæ esu felis animal domesticum. Panthera aconito à venatoribus perfricata, excrementis hominis sibi medetur. Elephas chamæleonte concolori fronde devorato, occurrit oleastro huic veneno suo. Vrsi cum mandragoræ mala gustavere, formicas lambunt. Cervus herba cinare, venenatis pabulis resistit. Palumbes, graculi, merulæ, perdices, lauri folio an-

nuum fastidium purgant. Columbæ, turtures, & gallinacei herbâ quæ vocatur helxine: anates, anseres cæteræq; aquaticæ herbâ siderite: grues & similes junco palustri. Corvus occiso chamæleonte, qui etiã victori nocet, lauro infectum virus extinguit. Hæc & similia quàm plurima quorum nec finis est nec numerus, annon obsecro manifestissimè demonstrant Medicinam ipsissimo Creatoris digito, jam inde à mundi primordijs naturæ fuisse insculptam? Stet ergo jam hoc: Arte Medica aliam antiquiorem esse nullam. Sed verò & artium primi Authores seu Inventores si splendorem illis aliquem & commendationem conciliare possunt: scio nullam esse artium quæ de inventorum celebritate cum Medicina certare possit. Eugè replicentur Scriptorum annales, Iacheno illo Ægyptio (cujus Suidas meminit) quis tandem post hominum memoriam celebrior fuit? qui quòd Ægyptios docuisset accensis ignibus pestem depellere, divinos honores est consecutus. Huic demortuo altare erexerunt Ægyptij, in quo postmodum quoties grassata fuit pestis aliqua Iacheno sacrificarunt; atq; ejus ab altari mutuato igne compitatim lignorum strues pro depellenda peste accenderunt. Iacheno dehinc successerunt Mercurius & Osiris rex, cum sorore eademq; & conjuge Iside: de qua Herodotus. *Ego sum Isis AEgypti Regina, à Mercurio erudita. Ego sum uxor Regis Osiridis. Ego sum prima frugum inventrix. Ego sum Ori regis mater, &c.* Hic Orus rex aliàs Apollo dictus, ultimus Ægyptiorum Deus, à nonnullis dicitur medicinam ex Ægypto in Græciam importasse: quan-

Medicinæ Inventores.

Iachenus.

Mercurius. Osiris rex. Isis. Lib. 1.

Orus aliàs Apollo.

quanquam Trismegistus sepulchrum ejus in Ægypto monstret, de quo OVIDIVS:

Inventum Medicina meum est, opifex q; per orbem
Dicor, & herbarum subjecta potentia nobis.

Certè Æsculapium Apollinis filium Græci planè suum faciunt: cujus cùm alij tum ipse etiam Plato meminit 3. de repub. De quo & hoc oraculum ab EVSEBIO narratur. AEsculapius.

Natus ego ex sacra Tricca, cui tota medendi
Ars, cui sese omnis pariter sapientia debet.
Quem mater peperit compressa ab Apolline, magnum
Illum AEsculapium, Divûm numero q; receptum.

Aliorum Apollinis filiorum meminit Homerus, nempe Podalirij & Machaonis: qui Græcos secuti sint in bellum Trojanum. Tandem aliquot interjectis devolvitur ordo ad magnum illum Hippocratem Coum; cui, quòd venientem ab Illyrijs pestilentiam prædixerit, discipulosq; ad auxiliandum circa urbes dimiserit, honores, quos Herculi, decrevit Græcia. Fuit vir hic unus omnium medicorum longè consummatissimus: in quo sic omnes medicinæ thesauri fuere reconditi, ut quicquid uspiam esset priorum scriptorum, id omne noctuarum instar oriente Sole Hippocratico disparuerit: & quicquid scriptorum emergeret postea, ad hujus viri scripta ceu ad Lydium quendam lapidem probari oporteat. Enimverò jam tum ante Hippocratis tempora aliquid de re medica fuisse scriptum, cùm ex ipso Hippocrate, tum ex historijs non est obscurum. Solebant antiquitus ægrotos suos com- Podalirius Machaon. Hippocrates Cous. Plin. lib. 7. cap 37.

pitatim ubi major hominum frequentia transiret, exponere; ut à transeuntibus consilium medendi peterent. Hinc quicquid quisq; salutare reperisset & morbo suo profligando idoneum: id postea in Deorum templis ad rei memoriam literis ferè hieroglyphicis annotabatur: sicut historici commemorant factum in templis Æsculapij in Pergamo & Epidauro, itemq; in templis Apollinis apud Ægyptios. Sed & ex ipso Hippocrate lib. de Med. vet. intelligimus jam tum quædam extitisse scripta medica. Quin etiam Quæstionum Cnidiarum ipsus meminit, contra quas scripsit. Et, si Galeno credimus 1. Meth. Therapeut. cap. 1. floruerunt eo tempore scholæ medicæ tres; Cnidia, Italica, & Coa. Idem Galenus opinatur duos Hippocratis libros de articulis & fracturis, ab alio quodam Hippocrate Gnosidis filio scriptos fuisse. Deniq; ipse Hippocrates in epistola quadam ad Democritum probat Æsculapium ad finem artis non perveniisse: quòd Scriptores attestentur eum in multis à seipso dissensisse: Ergo extitisse quippiam scriptorum Æsculapicorum consentaneum est. Hæc inquam omnia ceu scopas quasdam dissolutas sua pro industria collegit Hippocrates, & quicquid uspiam reperisset idoneum sive in tabulis illis hieroglyphicis, sive in authorum scriptis, suo pro acumine selegit, & in ordinem digessit, deditq; tandem effectum ut Medicinam haberemus numeris omnibus absolutissimam. At enimverò cùm conciziora essent scripta Hippocratis: tandem longo pòst tempore succedens Galenus, illa fusissimè explanando,

Hippocrates Gnosidis filius.

Galenus.

nando, artem perfeciſſe creditur. Pertexui præcipuos Medicinæ inventores, quo quidem nomine appellati ſunt non tantum ij, qui artem primi in lucem eruerunt, ſed etiam quotquot poſtea illam vel auxerunt vel illuſtraverunt. Cedò an quæquam eſt ars quæ celebriores inventores ſui proferre poſſit, quàm eos qui ob præclara in rempub. merita & Dij & Deorum filij publicè & palam ſunt appellati? Sufficere equidem abundè hoc unum poterat demonſtratum eſſe, Quòd Deus ipſe author ſit Medicinæ, quæ proinde hominum inſuper authoritate parum aut nihil opus habeat: ſed viſum tamen fuit & hominum celebrium authoritates aſſcribere, quod Medicinæ non parum ornamenti adferre viderentur. Nunc porrò conſectaneum eſt ut & à Subjecti, circa quod verſatur, dignitate commendetur.

Medicinæ Subjectum. Medicinæ Subjectum ſeu materiam circa quam, ſtatuunt corpus humanum vivum. Atq; ita quidem eſt, neq; poteſt negari, quin omnes & ſingulæ Medicinæ partes circa hoc propriè verſentur. Phyſiologica quidem circa ſanum; Pathologica circa ægrum ſeu morboſum; Therapeutica deniq; circa curandum. Qui conſtitutionem humani corporis fuſius ediſſerunt, in eo conſiderare ſolent diſtinctim hæc tria, Materiam, Temperamentum, & formam artificialem pariter & inartificialem. Quibus totidem ſumma morborum genera reſpondent, nempe Materiæ immoderatio; Intemperies; Mala compoſitio, morbus formæ artificialis; Deniq; morbi formæ propriè dictæ; qui

ijdem

ijdem & divini & occulti & totius ſubſtantiæ vocantur, inciduntq; tum quando rerum cæleſtis forma â ſtellarum elemento pernicioſè afficitur. Alij corpus humanũ partiuntur in continentia, contenta, & impetum facientia. Alij aliter. Certè qui volet in partium humani corporis conſideratione rectè verſari: hoc filo contemplationem omnem quàm optimè duxerit; ſi partes humani corporis in duo ſumma genera partitus, alias ſimplices ſeu ſimilares vocet, & alias compoſitas ſeu diſſimilares. Simplices quidem in triplici verſantur differentia; aliæ enim ſunt ſolidæ, ut oſſa, cartilagines, ligamenta, fibræ, membranæ: aliæ humidæ & omnino molles, ut ſanguis, pituita, utraq; bilis, & quicquid uſpiam in corpore humorum eſt: non omnino molles, ut caro propria muſculorum, impropria viſcerum, adeps, glandula, medulla cerebri, dorſi, oſſium: aliæ deniq; ſpiritus, in cerebro animalis, in corde vitalis, in epate naturalis. Ad partes humani corporis compoſitas ſeu diſſimilares quod attinet; non aliunde rectiùs diſtinguuntur quàm à facultatibus, quarum ſunt inſtrumenta. Conſtat autem facultates omninò tres eſſe, Animalem, vitalem, & naturalem; quarum inſtrumenta juvat ordine percurrere. Animalis quidem facultas in tribus conſiſtit, nempe in principibus animi functionibus; quarum nulla ſunt inſtrumenta præcipua, quòd animus his minimè indigeat. Deinde in ſenſu; cujus organa vel in cerebro conſiſtunt, vel à cerebro dependent. In cerebro quidem ſunt ea quæ pertinent ad ſenſum communem, imaginationem, memoriam

Partitio humani corporis partium.

riam & appetitum, suntq; præcipuè quatuor cerebri ventriculi; & subservientia hæc septem, duæ cerebri membranæ, plexus retiformis, testes, clunes, glandula pinedis, vermes, & pelvis. A cerebro autem dependent nervi, qui feruntur ad sensuum quinq; subservientia organa; nempe ad oculos, unde sensus visus; ad nares, unde sensus olfactus; ad aures, unde sensus auditus; ad linguam, unde sensus gustus; ad cutem, unde sensus tactus. Deniq; consistit Animalis facultas in Motu, cujus organa omnia præcipua à cerebro dependent, ut sunt nervi & spinalis medulla cum triginta paribus nervorum: quorum subserviens organum est musculus. Dixi de instrumentis facultati Animali famulantibus: consectaneum est ut de instrumentis facultatis vitalis dicam. Hæc facultas consistit in pulsu & respiratione; cujus organa præcipua sunt cor & arteriæ; subservientia verò sunt illa quæ respirationi dicata sunt, alia moventia; de quibus paulò ante in motu: alia respirationem deducentia, ut larynx & aspera arteria; alia excipientia, ut pulmones mediastino in duas partes divisi. Reliqua nunc est facultas naturalis, quæ posita est in Generatione, Nutritione, & Accretione. Generationis organa sunt vasa spermatica, testes & scrotum, penis & uterus. Nutritionis organa alia præparant & deducunt alimentum, ut os, œsophagus, venæ & intestina gracilia: alia alimentum conficiunt, ut ventriculus & epar: Alia alimentum ab excrementis vindicant, ut crassa intestina, folliculus fellis, splen, renes, ureteres, & vesica. Accretionis instrumenta sunt eadem quæ Nutri-

tionis. Cæterùm instrumenta auxiliaria sunt Peritonæum, Adeps, Membrana carnosa, mesenterium & omentum. Atq; hactenus quidem de corpore humano dixi.

At enimverò cum & humani corporis constitutio & morbus & ipsa deniq; curatio rebus ab alijs dependeant: nemo opinor tam est obtusa oculorum acie qui non videat, oportere Medicinam circa plures res occupari, quàm circa solum corpus humanum. Has ego res omnes ut sine ulla verborum circuitione uno veluti fasciculo comprehendam: ajo, Medicinæ subjectum esse non modò humanum corpus sed mundum hunc universum, qui, ex pulcherrimo 14. orbium corpore & purissima mundi anima, quam Naturam vocant universalem, constat: tum insuper res universas & singulas, sive perfectæ sint sive imperfectæ, quas mundus hic generat & genitas veluti sinu suo complectitur, nutrit, fovet; quomodo & *Aristoteles lib. de mundo cap 2.* mundum definivit esse *compagem è cælo terraq; coagmentatam atq; ex ijs naturis, quæ intra ea continentur.* Verba meherculè perpauca: sed quæ dicendi campum pandent latissimum, in quo decurrendum mihi erit tum quando Physiologicam Medicinæ partem pertractabo: in quem quidem locum meritò pleniorem rerum naturalium tractationem rejicio. Neq; tamen hinc pes movendus fuerit priusquam ad amplissimum subjecti Medicinæ theatrum demonstrandum, quomodo Medicus in rerum naturalium contemplatione versetur, velut digito commonstrârim.

Quæ-

Quæcunq; res sive perfectæ sive imperfectæ in mundo generantur, sive res ipsas totas consideremus sive rerum partes similares; materiâ constant, & formâ, quibus tertium addunt Medici, nempe, temperamentum, quod materiæ ineſt; quippe ex elementorum qualitatibus coëuntibus constitutum. Vt jam quavis in re naturali itemq; inquavis rei naturalis parte similari hæc tria distinctim insint, materia, temperamentum & forma, sub qua & conformationem partium membrorumq; comprehendo, quam docendi gratiâ formam artificialem appellari posse autumo: nam & vulgo dicimus floribus alijsq; rebus naturalibus magnum ineſſe Dei & Naturæ artificium, à qua quidem phrasi ne ipse quidem Galenus abhorruit: Vt inquam hac ratione conformatio distinguatur à forma propriè dicta quæ dat esse rei, estq; cæleſtis quædam essentialis Idea, ceu soboles quædam defluens è gremio fæcundæ matris, quæ & Anima mundi & Natura universalis à Philosophis appellatur. Quo autem filo rerum naturalium considerationem ducat Medicus cognoscere, ad Medicinæ Subjectum pernoscendum, haud parum conducit. Tria autem sunt quæ in rebus etiam atq; etiam Medicus considerat. 1. ipsa rerum generatio. 2. quid res genitæ habeant virium. 3. quâ tecmarsi in usum adhibendæ sint medicum.

In Generatione quidem considerat Medicus ordinem causarum, Efficientis, materiæ, formæ & finis. Efficientem omnem rerum causam à cælo esse in Physiologia demonstrabo. Materia rerum quin ab Elementis sit non est diffitendum;

quatenus quidem simpliciter est materia elementaris, non autem quatenus est hujus vel istius rei materia. Idem de temperamento, quod Materiæ inest, affirmo: non posse inquam ex elementis hujus vel istius rei constitui vel materiam vel temperamentum, nisi efficiente cælo. Vtraq; itidem forma planè est cælestis, ne vel hilum ab elementis mutuata. Sed & finis rerum genitarum haud postremus est ille, ut de admirandis cæli operibus mutuaq; cæli & inferiorum corporum sympathia jugiter admoneamur: quemadmodum exempla rerum ostendunt cùm alia innumera, tùm vero Heliotroprij & Loti Ægyptiæ sese ad motum Solis omni momento vertentium. Vt jam meritò è numero medicorum explodendi sint omnes illi, quicunq; cæli indociles sic circa plantas considerandas versantur, ut nihil curent planetas. Arrogans meherclè genus hominum supercilio quidem satis impudenti larvam præ se ferens Hippocraticam Galenicamq;, sed quod unquam vel in Hippocrate vel Galeno lectitando aliquid posuisse operæ non credam, sicut suo loco demonstraturum me confido.

De rerum viribus cùm elementaribus tum verò cælestibus propositione mea tertiâ dicam.

De modo itidem utendi rebus eâdem propositione tertia differam in Therapeutica Medicinæ parte; ubi de Methodo medendi agam. Quin hæc etiam modò dicta in Physiologiam (ubi & repetenda & plenius tractanda erunt) rejicere maluissem: ni ob oculos ponenda mihi fuisset & demonstranda amplitudo Subjecti Medicinæ; æquum & doctum

Lecto-

Lectorem rogo, ut hoc quicquid est παιπαλογίας mihi condonet. Huc etiam referri & possunt & debent quæcunq; paulo post de Astronomiæ subjecto edisseram. Quisquis autem ea quæ dixi secum reputabit perpendetq;, sat scio, fateri cogetur, nullam esse sub cælo artem cui Subjectum vel tam nobile contigerit vel tam amplum. Vnde equidem Medicinæ haud vulgare exurgere encomium qui non videt: ille vel ipsum Solem ne meridie quidem videat lucere.

Et de Medicinæ primis authoribus quidem hactenus, itemq; de materia circa quam versatur: sequitur ut de præceptorum theorematumq; artis medicæ firmitate seu certitudine dicam. Sed enimverò quid potero dicere aliud, quàm quòd & rationibus physicis & multorum seculorum certissima experientia nixa stent, non aliter atq; murus aheneus? Poteram hoc innumeris hypothesibus probare, si omnes & singulas artis partes vellem percurrere, & cujusq; ubiq; theoremata perquirere. Id verò cum neq; necessum sit, neq; hujus loci: quippe quod tantam rerum molem orationis angusti termini non capiant: Cumq; illa quæ vulgò contra medicorum theorematum certitudinem objectantur, commodè in suum peculiarem locum refutanda differantur: rectè mihi facturus videor si huic parti non immorer, sed ad Medicinam à fine commendandam progrediar. Medicinæ theorematum certitudo.

Finis Medicinæ est Sanitas vel conservanda vel reparanda, qua post animæ salutem homini nihil esse potest prius. Quid enim juverit quempiam Medicinæ finis.

infinitos congeſsiſſe theſauros: ſi per adverſam valetudinem ijs uti nequeat? Quomodo pulchrè Horativs:

Non domus aut fundus, non æris acervus & auri
AEgroto domini deduxit corpore febres:
Non animo curas: valeat poſſeſſor oportet,
Si comportatis benè rebus cogitat uti.

Si mihi placeret fuſum & patheticum dicendi genus: vellem hoc loco proſequi incommoda ægritudinum. Primùm quomodo ipſum affligant animum ejusq; actiones interturbent; cum vix fieri poſsit mens ſana in corpore ut reperiatur ægro. Deinde quomodo corpus doloribus, vigilijs, alijsq; horrendiſsimis ſymptomatibus miſerrime diſcrucient. Vellem per omnia morborum genera decurrendo ſingulorum ſæviſsima crudeliſsimaq; ſymptomata ceu in theatrum palam ſpectanda producere, præſertim morborum occultorum. Quis enim peſtilentiarum atrocitatem ſat largo orationis flumine poſsit proſequi? Quis variolarum morbillorumq; deformitatem ſat juſtis coloribus depingere? quæ interdum viſa eſt tanta, ut occæcatis oculis, univerſa cutis in ſquamas fætidas & in cruſtas ingentes ſolveretur: corpus omne non aliter contabeſceret, & macie nigroreq; torreretur, quàm ſi menſes quatuor è furca dependiſſet. Quis à cane rabido demorſos & in hydrophobiam adactos ſatis commiſeretur? qui licet ſiti enecentur, aquam tamen plus ipſa morte refugiunt. Quis ſæviſsimos dolores effari poſsit, qui vel ſcorpionum beſtiarumq;

rumq; virulentarum morsibus, vel telorum veneno tinctorum ictibus infliguntur? Quis lepræ, luis venereæ, elephantiasis, similiumq; affectuum fæditatem non perhorrescat? Quis immanes intrò sumti veneni cruciatus non extimescat? epilepsiæ, apoplexiæ, syncopes, strangulatus uteri, obsecro quàm sunt horribiles insultus? Quàm sunt miserabiles contabescentium ideæ? Sed ridiculus reverà sim, qui maris arenam; hoc est, morborum symptomata jam hîc numerare instituam, quæ vel sola justæ orationi materiam suppeditare abundè possint. Si inquam pathetico dicendi genere uti colliberet: possem sanè atq; etiam vellem omnia hæc longiori filo trahere, ac insuper demonstrare, quomodo humani corporis functiones omnes, naturales, vitales, animales, quatenus est animæ instrumentum, impediant: prætereaq; totius hominis actiones & officia civilia de medio tollant. Quæ hinc clades, publicæ & privatæ? Quæ imperiorum sæpè regnorumq; mutationes & interitus ob unius interitum, vel Imperatoris vel Regis? Quæ civitatum ruinæ ob unius nonnunquam aut plurium è magistratu decedentium jacturam? Quæ ecclesiarũ & Christiani gregis dissipationes ob unius fidelis pastoris seu episcopi amissionem? Quæ familiarum afflictiones & miseriæ ob mortẽ unius patrisfamilias? Et hæc quidem cùm in paucos & singulares tantùm debacchatur malum. Quid autem quando fœda aliqua lues integra devastat & depopulatur regna? imò de regno in regnũ velut depascens flamma transilit, neq; prius absistit quàm longè lateq; grassata multas hominum myria-

myriadas internecioni dederit? quando publica judicum subsellia vacant? leges silent? commercia inter homines quiescunt? Tantis cladibus quæ medetur ars: obsecro annon commendari digna est? an uspiam terrarum quæpiam est alia, quæ de utilitate & necessitate cum hac ausit decertare? Mirumne videbitur alicui pro Dijs fuisse ab Ethnicis habitos & cultos, qui regna & populos ab ejusmodi cladibus liberarunt? Mirumne etiam tales tantosq; publicæ calamitatis profligatores, salutisq; vindices à regibus, magnis & honoribus & opibus fuisse auctos? Prô Deûm atq; hominum fidem! tam væsana mente, tam impudente supercilio, aut fronte quempiam tam esse perfricta: qui tantum Dei donum grata mente non agnoscat? non veneretur? Artem dico quæ ægris quidem est asylum, sanis verò ingruentis morbidæ tempestatis declinandæ portus quidam optatissimus? qua maximè indigent quiq; infimi pariter & summi? quæ cælitus liberali Deorum munere miseris concessa mortalibus, una omnium artium imperatrix, ipsis etiam Imperatoribus imperans à veteribus est appellata?

Medicinæ cultores.

Enimverò nullum unquam sub cœlo imperium, nulla uspiam de hominibus gens fuit quæ non in honore & pretio habuerit Medicinam. Dei imprimis populus, Imperia Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum, tum alia etiam regna & populi ubiq; terrarum. Equidem in Dei populo Medicos fuisse Scriptura sacra multis in locis palam testatur. Ioseph dicitur præcepisse servis suis Medicis, ut aromatibus condirent patrem Iacobum recens

Iudæi.

Gen. 50. 2.

recens mortuum. Moses etiam jussit, si quis alium percusserit: ut operas illi & impensas in Medicos restituat: Ergo jam tum erant Medici in Dei populo. Quin & de Asa impio rege Iuda scribitur, quòd cùm ægrotaret, in infirmitate sua non quæsiverit Dominum, sed magis in Medicorum arte sit confisus: Ergo Medici eo tempore erant in populo Dei. Languor prolixior, inquit Ecclesiasticus, gravat Medicum, brevem languorem præcidit Medicus. An quenquam fugere potest factum junioris Tobiæ, qui jussu angeli Raphaëlis de pisce exenterato cor fel & jecur in usum reposuerit medicum? An vel hoc etiam, quod Esaias propheta cataplasma è ficubus paratum ulceri imposuerit regis Hiskiæ? Quid ego hîc memorem pulcherrimas prophetarum allegorias, quas in arguendo populo concinnè à re medica mutuatas negotio suo quàm appositissimè accommodarunt? *A planta pedis*, inquit Esaias arguens peccata populi, *usq; ad verticem non est in eo sanitas: vulnus & livor, & plaga tumens: non est circumligata nec curata medicamine, neq; fota oleo.* Plura passim inveniet qui in Prophetis legendis operam ponet. Huc etiam referri poterit illud Christi *Luc. 4. Nempe dicetis mihi, Medice cura teipsum;* & quicquid simile occurret non uno in loco: fuerunt ergo Medici in populo Dei. De Assyrijs autem quid? Ajunt Zoroastrum apud Bactrianos regnantem, primum artem medicam magicis sordibus contpurcasse; quod utiq; non potuisset, si illis in usu non fuisset ars medica. De Persis non aliunde commodius petetur testimonium quàm ex ipso Hippocrate; Magnus

Eod. 21. 18.
2. Paral. 16. 12.
Eccles. 10. 11. 12.
Tob. 6. 5.
4. Reg. 20 7
Esa. 1. 6.
Esa. 3. 6.
Ier. 8. 22
Ier. 46. 11.
Assyrij.
Zoroaster.
Persæ.

Artaxerxes. enim Artaxerxes Persarum Monarcha Hippocratem vocavit proposita tanta auri vi, quantam ipse vellet: sed recusavit Hippocrates, quòd Græcorum hostis esset Persa: Coluerunt ergo Persæ medicinam. De Alexandro magno narrat Plutarchus eum adhortatore Aristotele artis medicæ fuisse studiosum adeò, ut quibusdam medicinam ipse fecerit. Quid jam ego hîc de Mithridate, Andromacho, Gentio, Lysimacho, Chirone Centauro, Ioanne Mesue, Avincenna alijsq; ? qui pleriq; reges aut regum & Heroum filij, sic artem non dicam coluerunt sed excoluerunt: ut in hunc usq; diem medicamenta quædam tum simplicia tum composita suum ab illis sortita nomen retineant, atq; authores suos consecrent immortalitati? Romani rerum Domini, quanti medicinam facerent, profusissima sua & admiranda in Medicos liberalitate, quam Plinius narrat, testatum fecerunt. Imperator Augustus ab Antonio Musa solius fere lactucæ usu curatus à morbo satis ancipiti: statuam illi æneam erigere jussit juxta statuam Æsculapij, nimirum testatus quanto in honore artem haberet medicam.

Alexander magnus.

Mithridates.

Andromachus.

Gentius.

Lysimachus.

Chiron Centaurus

Ioann. Mesue.

Avincēna.

Romani.

Plin. lib. 29 cap. 1.

Iam non ferar ulterius vehendo Medicinæ encomium: ne justas dicendi metas transiliat oratio. Neq; enim existimo tantum cujusquam esse vel ingenij flumen, vel orationis copiam; qui Medicinæ (quippe omni laude majoris) præstantiam sat digna oratione possit prosequi, ne vel ipsissimus Tullius quidem. Quin ipse si vellem per omnes argumentorum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727145347/phys_0034
DFG

rum sedes decurrere, artem definiendo, dividendo, partes declarando ac confirmando, tum & commendationum argumenta per singulos locos venando captandoq; : oporteret utiq; orationem hanc in magnum excrescere volumen. Quare generalioribus his capitibus quæ hactenus tractata sunt contentus; Medicinæ commendationem nunc concludo, atq; ad Astronomiam transeo.

II. DE ASTRONOMIÆ DIGNITATE.

VI primi ab Astronomia separaverunt Astrologiam; quid in mente habuerint, vix assequor. Certè olim Astrologia pars fuit habita Astronomiæ: ut vox Astronomiæ modò generis rationem habuerit modò speciei: quomodo apud Theologos vox Traditionis, & apud Iureconsultos vox Adoptionis. Vtiq; quod in Dialectica est Iudicium & in Rhetorica Elocutio; id in Astronomia est Astrologia. Astrologia est pars Astronomiæ.

Quomodo enim Iudicium dialecticum argumentum è locis petitum quod Medium vocant cum utraq; propositæ quæstionis extremitate sic in præmissis disponit vel in figura prima, vel in alia ad primam reducibili, prout in scholis loquuntur, ut proposita quæstio vel affirmativè vel negativè conclusa necessariò inferatur: eodem planè modo & Astrologia ex inventione Astronomica conclusiones nectit. Exempli gratia. Quando Astronomia demonstrat futuram Solis & Lunæ oppositionem ex diametro in ipsa via Solis distantium, terrâ interjecta media: mox Astrologia judicat & eloquitur seu pronunciat futuram eclipsin; ut perperam feciſſe videantur illi qui Astrologiam ab Astronomia primi separaverunt. Equidem credo aliquid illos voluisse Astrologiæ addere dignitatis; quippe quæ non jam pars artis sed ipsa per sese ars esset vocanda. Sed malè cessit illa dignitas miseræ Astrologiæ. Quamdiu enim pars censebatur Astronomiæ, illius veluti sub scuto delitescens libera degebat à contemptu: postquam verò ab Astronomia separata fuit, statim & violari cæpit & contemni. Quare præstiterit illam à Chaldaicarum superstitionum repurgatam sordibus redire sub alas Astronomiæ. Astronomia dicitur, quòd astrorum leges tradat, quas à Deo sibi præfixas illa nunquam exorbitent. Astrologia autem appellata est, quod ex vario positu siderum juxta has quas dixi leges euntium, diversos rerum eventus pronunciet. Itaq; Astrologiam ab Astronomia minimè separamus, sed illam hujus partem facimus, & à Chaldaicis repurgatam superstitionibus ceu natu-

naturalis Philosophiæ partem defendendam suscipimus.

Astronomiam perinde atq; alias liberales artes omnes, Dei donum esse, non puto quenquam ire inficias. Certè de hominibus inventores & cultores habet perquàm celebres. *IOSEPHVS de Antiq. Iud.* refert Adamum humani generis primum parentem disciplinam rerum cælestium perfectè calluisse, ac quæ longo usu observârat ipse, ne postea ex hominum memoria dilaberentur, duabus insculpsisse columnis. Quod idem & posteros Sethi factitasse ait, qui cum multorum annorum observatione doctrinam hanc ab Adamo avo traditam auxissent; ne periret, denuo columnis inscribendam censuerunt. Fecerunt autem duas columnas unam ex lapide vivo, alteram ex coctis lateribus constructas, quarum illa aquæ impetum, hæc ignis sustinere posset; ut doctrinam hanc integram ad posteros transmitterent, sive aquâ sive igni Deus mundum perderet; nam mundum periturum esse ab Adamo intellexerant. Horum coctilium laterum Plinius meminit ex Epigene referens apud Babylonios 720. annorum observationes siderum coctilibus laterculis inscriptas. Porro de Abrahamo Patriarcha idem Iosephus refert, quòd, cum ex Chaldæa in patriam commigraret, primus omnium Ægyptiis hanc artem tradiderit. Quantus Astronomus David fuerit: facile intelligit quisquis hos Psalmos 8. 135. 136. & 148. vel oscitanter percurrerit. Iobum etiam Astronomiæ insigniter peritum fuisse, apparet ex ejus libri nono & trigesimo octavo capitibus. Nemo est Christianorum

Inventores & cultores Astronomiæ. Adam.

Lib. 7. cap. 56.

Abraham.

David.

Iob.

Magi. norum qui ignoret Magos ductu novæ stellæ & quæsivisse & inveniſſe recèns natum Salvatorem.

Dionysius Areopagita. Præteriri non debet Dionysius ille Areopagita, qui magnus utiq; Astronomus fuerit oportet, quod videns tempore pasionis Christi servatoris nostri in plenilunio Solis eclipsin tres durantem horas, exclamârit: *Aut numen pati aut dissolutum iri orbis machinam:* moxq; aram extruxerit cum inscriptione hac, Ignoto Deo: quem cùm illi notum faceret Paulus factus sit Christianus. Possem si vellem longum catalogum texere Monarcharum, regum, heroum, philosophorum, medicorum, qui omnes hac in arte claruerunt: sed cum illa quæ modò retuli è sacris petita sufficere abundè possint, supersedeo; jam aliquid etiam de Materia circa quam Astronomia versatur, dicturus.

Act. 17.

Subjectum Astronomiæ. Subjectum Astronomiæ sunt non ipsa astra tantum & orbes astriferi, unà cum lege juxta quam noventur: sed ipsi etiam superiores orbes astris carentes, quin & quatuor inferiores elementorum orbes, in quos ipsa astra vim suam exercent. Sic ergo tenendum est totam mundi sphæram ex orbibus cælestibus decem, & quatuor elementaribus compositam, Astronomiæ atq; Astrologiæ subjectum esse. Quorum quidem orbium cælestium inferiores septem, vectores sunt planetarum ☽☿♀☉♂♃♄. Octavus verò stellarum fixarum vehiculum. Nonus & decimus quanquam astra non contineant, tamen & ipsi ad astrorum motum quàm maximè faciunt. Omnes hi orbes decem cælestes & quatuor inferiores

res elementares ab æterna omnipotentiq; sapientia tàm affabrè in unum corpus coagmentati sunt sphæricum, ut contiguum cum sit à continuo, tamen parum aut nihil abesse videatur. Qui hanc mundi fabricam similitudine aliqua exprimere voluerunt: armoniam aut cæpam exactè rotundam proposuerunt, comparatione non prorsus inepta. Pudeat ergo eos stultitiæ suæ qui opinantur cælum longiùs à nobis esse disitum, quàm ut possit in inferiora hæc vires suas exerere: multò meherclè magis ridiculum ac si dicerent manus & pedes longiùs distare à corde, quàm ut vis animæ calorq; vitalis possit ad eos pertingere: præclaros certè philosophos, aptiores ad stivam quam ad rem gerendam medicam. Cæterum in his jam enumeratis Astronomus idemq; Astrologus diligenter considerat. 1. orbium seu stellarum motum. 2. cùm planetæ moveantur impariter, ut unus altero sit multò vel celerior vel tardior: quosnam illi, & quibus in signis, tam vario suo motu, positus seu configurationes ad se invicem constituant etiam atq; etiam examinat. 3. naturas, vires & effectus cùm stellarum singularum, tum ipsarum quoq; configurationum simulq; & signorum seu locorum in quibus contingunt, meditatur perpenditq;. 4. In quas potissimum terræ plagas dirigantur. Motus quidem est duplex (ne quid de octavi orbis trepidatione hîc dicã) primus & secundus. Solus terræ orbis cũ immobilis sit: reliqui tredecim omnes quotidie motu primo ab oriente in occasum spatio 24. horarũ circumgyrantur. Fuit quotidianus hic circumactus perquàm necessarius; ni enim

Tota mundi compages unum quoddam corpus est.

Similitudo

hic

hic esset, utiq; oporteret unam orbis partem semestri frigore rigere, & alteram Solis semestri calore torreri, nulla succedente quotidiana dierum & noctium vicissitudine: quippè quòd Solem semel duntaxat in anno oriri oporteret, & itidem semel duntaxat occidere. Motus secundus est quo & fixæ stellæ orbis octavi & planetæ omnes, non tamen pari omnes passu, cursum suum naturalem primo motui contrarium peragunt ab occasu in orientem. Configurationes quinq; numerantur ☌ ☍ □ △ ✶: quarum quidem naturas edisserere non est hujus loci, ut neq; singularum stellarum naturas viresq; longiùs prosequi. Cæterum ex omnibus hisce quam diligentissimè observatis pronunciantur tandem effectus & rerum sive generandarum, sive mutandarum sive deniq; interimendarum eventus. Illud observandum imprimis, ut cælorum & planetarum virtutes in quamvis mundi plagam porrigi possent: Zodiacum qui 12 cæli signa continet ♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍ ♎ ♏ ♐ ♑ ♒ ♓, & omnium circulorum solus latitudinem habet, intra quam planetæ huc illuc sursum ac deorsum in longum & latum variè decurrunt, à sapienti Deo constitutum esse obliquum. Si enim Sol & reliqui planetæ circumferrentur orbe aliquo ab utroq; polo æqualiter distante: oporteret sanè unam eandemq; semper fore temporis conditionem: Vndè totius universi necessariò subsequeretur interitus, qua de re qui volet Aristotelem videat *de Generat. lib. 2. cap. 3.*

Iam vero & anni tempora cùm ab astrorum ortu occasuq; describantur; utiq; ab Astronomiæ sub-

ſubjecto excludi nequeunt. Requirunt & hæc conſiderationem minimè indiligentem, non propterea duntaxat, quòd hæc aut illa elementorum in ijs excedat qualitas, ſicut vulgus autumat medicorum: ſed inquam propterea quòd tum in ijs ipſis anni temporibus, aut ſi mavis Zodiaci punctis cardinalibus, tum verò in ſideribus quæ ſua quibusq; & oriuntur & occidunt, vis quædam lateat occulta & decretoria, propter quam, obſervante magno Hippocrate, ad medicationem non ſint tuta, niſi diebus niminùm decem elapſis, ſicut poſtea fuſiùs ediſſeram. Cæterum quæ eſt Solis ratio in anno; eandem Lunæ rationem eſſe in menſe evidenter demonſtravit Galenus. Vt quemadmodum omne de morbis chronicis judicium à motu potiſsimùm Solis per quatuor Zodiaci puncta cardinalia gradientis dependet: ita de morbis acutis judicium ferendum ſit à motu Lunæ, prout quater intra menſem medicum (qui ſupputante Galeno continet 26 dies, adhæc dimidium & tertiam maximè & duodecimam unius diei dimidij partem) in tetragonis diametriſq; Zodiaci locis à primo morbi puncto ſupputatis humores validè & potenter movet; unde natura ad conflictum cum morbo ineundum proritatur. Qui quidem conflictus ſalutaris evadit tum, quando Luna humores concitat eo decurrens in ſigno quod ſuapte natura morbo adverſarium eſt: præſertim ijs coincidentibus ſiderum ſyzygijs quæ & ipſæ dimicanti naturæ auxiliari radio annuant: tum verò vel maximè ſi criſin Luna concitet in ijs Zodiaci locis aut eorundem tetragonis diametrisvè, quæ tempore

nativitatis ægro felici siderum aspectu fausta & salutaria fuerunt. E contrario autem pernicioſos raptus symptomaticos facit Luna, docente Galeno, tum, quando morbi locis tetragonis vel diametris, quippe decretorijs, incidit in ea Zodiaci puncta, quæ tempore nativitatis ægro infausta fuerunt; maximè si aspectus quispiam morbi suffragator die critico coincidat. Sed hæc ferè longiùs quam par erat prosequor imprudens orationis impetu extra oleas abreptus. Dixi satis pro instituti mei ratione de Astronomiæ nobilissimo juxta ac amplissimo Subjecto: ordo nunc postulat ut ad præceptorum astronomicorum atq; astrologicorum firmitatem demonstrandam accingar.

Theorematum astronomicorum certitudo.

Et quidem laterem (quod ajunt) lavem, si præcepta & theoremata astronomica confirmare instituam: quippe cùm omnia demonstrationibus nitantur mathematicis. Quæcunq; enim de partium eclipticæ aut quarumcunq; stellarum declinatione, latitudine, longitudine, ascensione seu recta seu obliqua ab Astronomis traduntur: certè amussi nituntur prorsus irrefragabili. Iam verò & astrologica quædam sunt non minus firma. Quædam autem quòd parum firma videantur, ipsorum artificum partim fit ignorantia partim imprudenti temeritate, sicut suo loco dicam. Nunc certitudinem quorundam saltem theorematum astrologicorum indigitemus. Atq; agedum obsecro, an quid uspiam certius est doctrinâ astrologorum de futuris eclipsibus? Enimverò quemadmodum prædictio futuræ vel conjunctionis vel oppositionis Solis & Lunæ in ea-

in eadem diametro, terrâ interjectâ mediâ, ad astronomum pertinet: ita prædictionem ipsius eclipseos seu defectus luminis propter oppositionem illam vel conjunctionem luminarium eventuri, cedò quis tandem nesciat esse astrologi? Est ergo quædam prædictio astrologica longè certissima. Iam ipsis etiam eclipsium significationibus, prout in hoc aut illo signo, concurrentibus his aut illis aliorum planetarum atq; inerrantium quoq; stellarum aspectibus, contingunt: quis tandem tam est communis sensus, nedum piæ mentis inops, qui non videat ferè tragicos respondere eventus? nisi fortè comminantis & ceu virgam ostentantis justi Dei ira fidelium precibus & verâ pœnitentiâ avertatur? Cæterum observationes astrologicæ & prædictiones eventuum ex certo Lunæ positu, lumine, motu, nunquid indubitatæ etiam sunt & certissimæ? Quando videmus vi Lunæ ipsum duci & reduci Oceanum? & sicut Luna cursu suo naturali quotidiè horam ortus sui evariat: sic & ipsum variari maris æstum? Sed neq; Lunæ vis duntaxat in maris accessu & recessu consideratur ab astrologis, verùm etiam in alijs subjectis corporibus. Agricolæ ab astrologis admoniti studiosè cavent, ne Lunâ crescente ligna cædant ædificijs extruendis, quòd tum succi plena facilè teredinem sentiant, ludantq; ædificantium operas pariter & impensas: an quisquam tam est ligneus, qui hanc lignorum cædendorum rationem ignoret? Norunt hortorum cultores semina, vergente ad conjunctionem Lunâ, radices suas presiùs terræ figere: quæ si, Lunâ à synodo prodeunte,

terræ mandentur, ferè tota abeant in herbam. Quin ne hîc quidem vis & efficacia conquiescit Lunæ. Annon videmus hydropicorum aquas unà cum Luna crescere subinde ac decrescere? Et quid mirum? Luna quæ universam vim pelagi variè movet, & immensi Oceani aquas modò extumescere, facit modò detumescere: quæq; idem in arboribus facit, & idem in alijs corporibus: idem obsecro non faciat in solo corpore humano? Iam inde à multis seculis omnium penè gentium docet observatio, non esse tutum venam secare eo in membro, cujus signum præsens Luna teneat. Hoc eodem è fonte doctrina manavit dierum criticorum. Cùm enim Luna singulis septenis diebus, loca attingat Zodiaci tetragona diametravé (in quibus magnam esse Lunæ vim & efficaciam, cùm ab alijs tum verò ab ipso Galeno est proditum) atq; ijsdem in locis trigonum mutet: cedò an mirum cuiquam videri debet eo die ægrorum vehementer concitari humores? Nisi justos orationis limites excedere religio mihi esset, possem huc attexere integra C. Plinij volumina, quæ de peculiari vi siderum ille scripsit. Atq; equidem ut partim tanti scriptoris authoritate, partim ipsa rerum experientia stultorum magistra confundantur illi, qui omnia elementorum qualitatibus metientes nihil cœlo, nihil astris tribuunt; edoceanturq; plurima ab astris prædici posse verissima: audebo sanè paucula quædā excerpere. Lib. 2. cap. 39.

Siderū vires ex Plinio.

Vt Solis natura, inquit, *temperando intelligitur anno: sic reliquorum quoq; siderum propria est cujusq; vis, & ad suam cuiq; naturam fertilis. Alia sunt in liquorem soluti humoris fœcunda.*

Alia

Alia concreti in pruinas, aut coacti in nives, aut glaciati in grandines. Alia flatus. Alia teporis. Alia vaporis. Alia roris. Alia rigoris. In suo quoq; motu naturam suam exercent, quod manifestum. Saturni maximè transitus imbribus faciunt. Nec meantium modò siderum hæc vis est, sed multorum etiam adhærentium cœlo, quoties errantium accessu impulsa, aut conjectu radiorum extimulata sunt: qualiter in Suculis sentimus accidere, quas Græci ob id pluvio nomine Hyadas, appellant. Quin & sua sponte quædam, statisq; temporibus: ut Hædorum exortus. Arcturi verò sidus non ferme sine procellosa grandine emergit. Et capite sequenti. *Caniculæ exortu accendi Solis vapores quis ignorat? cujus sideris effectus amplissimi in terra sentiuntur; fervent maria exoriente eo: fluctuant in cellis vina: moventur stagna. Origem appellat AEgyptus feram, quam in exortu ejus contrà stare & contueri tradit ac velut adorare, cùm sternuerit. Canes quidem eo toto tempore in rabiem agi non est dubium.* Iterumq; alio capite. *Quin partibus quoq; signorum quorundam sua vis inest, ut autumnali æquinoctio, brumâq; cum tempestatibus confici sidus intelligimus. Nec imbribus tantum tempestatibusq; sed multis & corporum & ruris experimentis. Afflantur alij sidere; alij commoventur statis temporibus alvo, nervis, capite, mente. Olea, & populus alba, & salices* (alibi & ulmum addit) *folia solstitio circumagunt. floret ipso brumali die suspensa in tectis arentis herba pulegij. Rumpuntur intentæ spiritu membranæ. Miretur hoc qui nõ observet quotidiano experimento herbam unã quæ vocatur Heliotropium abeuntem Solem intueri semper, omnibusq; horis cum eo verti, vel nubilo obumbrante. Iam quidem Lunari potestate ostrearum conchyliorumq; & concharum omnium corpora augeri ac rursus minui: quin & soricum fibras respondere numero Lunæ, exquisivêre diligentiores: minimumq; animal formicam sen-*

tire vires sideris, interlunio semper cessantem. Quo turpior homini insciti a est fatenti præcipuè jumentorum quorundam in oculis morbos cum Luna increscere ac minui. De maris æstu ad Lunæ motum euntes, toto *97. capite* agit, Illud mirum quod *cap. 98.* ex Aristotele refert, nullum animal nisi maris æstu recedente expirare, Quin ipse ego etiam attestari possum in Zelandia de mortis hora ægrotantium ut plurimum ex æstu recedente pronunciari. Cùm vident ægrum animam agere ita ut jam jam videatur expiraturus: negant moriturum nisi aqua cadente, hoc est, mari recedente. Plurima similia de Luna sequentibus capitibus habet. Quòd sit sidus spirituosum: quòd terras saturet, accedensq; corpora impleat, abcedens inaniat: ideo cum incremento ejus augeri conchylia, & maximè spiritum sentire quibus sanguis non sit: sed & sanguine hominem etiam cum lumine ejus augeri ac minui: frondes quoq; ac pabula sentire, in omnia eâdem penetrante vi. Solem esse masculum sidus, cuncta torrens, cuncta sorbensq;, qui ignea sua vi partes tenues & dulces maris exhauriens, & omne asperius crassiusq; linquens, maris aquam salsam reddat; & quidem magis salsam illam quæ in summo est ambitu, quàm eam quæ est in profundo. E diverso Lunam esse sidus fæmineum, molle & nocturnum; solvere humorem & trahere, non auferre: ferarum occisa corpora suo visu in tabem resolvere: somno sopitis torporem contractum in caput revocare: glaciem refundere: cuncta humifico spiritu laxare: Lunæ alimentum esse in dulcibus aquis, sicut Solis alimentum

tum est in aquis marinis. *Libro 18. cap. 25.* differens de cardine temporum, ait eum quadri partita anni distinctione constare, Brumâ, æquinoctio verno, Solstitio & æquinoctio autumni. Omnes has differentias fieri in octavis partibus signorum nempe octavo calendarum. Et hos dies rarò non aliquos tempestatum significatus habere. Rursum hos cardines singulis etiamnum articulis temporum dividi per media dierum spatia; quæ singula suarum stellarum exortu depingit. Vbi nnbilum occasum Vergiliarum, pluviosam hyemem denunciare ait. Vocat hæc & quædam alia tempora decretoria; sicut & quædam sidera decretoria passim appellat. *ut cap. 28.* Caniculam vocat uvis sidus decretoriorum, quod & maria sentiant & terræ & multæ ferarum. Sequenti capite frugum rubiginem non ad quaslibet sed ad quasdam peculiares Lunæ & Solis conjunctioneſq; oppositioneſq; refert. Plura describere orationis lex & ratio non fert. Illa quæ adduxi satis ostendunt, Esse aliquam theorematum astrologicorum certitudinem. Cæterum solent prædictiones astrologicæ in duo secari genera: ut aliæ sint veræ aliæ falsæ. Veræ aut necessariò sunt veræ aut contingenter. Veræ necessariò sunt quæ apodictica nituntur demonstratione, qualis est demonstratio Eclipsium, maris æstus, & humorum motus in corporibus sublunaribus animantium juxta ac stirpium. Vnde & circuitus decretorius ordinatus suapte natura ad hoc genus prædictionum meritò refertur. Dico suapte naturâ: Si enim per vim à causa inordinata aliò

Astrologicarum prædictionum distributio.

aliò rapiatur, id naturæ ipsius ordinatæ imputari nequit. Si quis tamen hunc ad genus contingenter verum referre malit: per me sanè suo fruatur sensu. Prædictiones astrologicæ contingenter veræ, sunt, illæ quæ ut plurimum quidem veræ sunt, impediri tamen quibusdam de causis possunt. Huc pertinent eclipsium tragici eventus, quos, nisi Deus fidelium placatus precibus avertat, ferè contingere videmus. Ad hoc genus refero & prædictiones annonæ, quarum exempla *Plinius lib. 18. cap. 28.* in Democrito monstrat & Sexto; quorum ille in Italia, hic verò Athenis prævisa olei caritate, omne oleum coëmerint, probarintq; opes sibi in facili cum vellent, fore. Item prædictiones bellorum, famis, morborumq; præsertim pestilentium populariter grassantium. Solent harum rerum prædictiones nonnunquam fallere vitio ipsius artificis qui vel imperitior vel oscitantior cæli atq; astrorum constitutionem non satis accuratè observârit, vel audacior ea quæ ab astris generaliter significabantur, specialiter certis personis temerè applicârit, quod quidem vitium dicam an flagitium quibusdam astrologastris nimis familiare est; nonnunquam verò ipsius Dei vel placati misericordiâ vel offensi justâ irâ; quippe qui fidelium placatus precibus & pœnitentia malum quod ab astris portendebatur avertat, aut pro bono quod astra denunciabant pœnam infligat. Ad hoc genus & prædictiones pertinent criſium, sintne salutares futuræ an verò calamitosæ? Criſes enim quæ videbantur futuræ ordinatæ & salutares; inordinata de causa & inordinatæ fieri possunt

Astrologorum quorundam temeritas.

possunt & calamitosæ. Atq; hæc quidem de prædictionibus astrologicis veris dicta sunto. Sequuntur falsæ; quarum aliæ sunt ridiculæ, aliæ superstitiosæ aliæ deniq; impiæ. Impiæ erant prædictiones eorum qui ex astrorum cultu uberem sibi pollicebantur annonæ proventum. Impiæ & eorum sunt prædictiones, qui astris vim attribuunt, quam in ipsos etiam hominum animos exerceant adeò, ut ad actiones necessitatem inducant; ut sive quis ad summum gloriæ atq; honoris evehatur fastigium, sive in ipsam malorum lernam sentinamq; demergatur, & quod ajunt, ad restim ipsumq; adeo suspendium adigatur: id astris natalibus sit attribuendum. Quis obsecro non exhorrescat tam stupendam impietatem? quis tam immanem blasphemiam non execretur? Superstitiosæ prædictiones sunt eorum, qui certis observatis sideribus equos coemunt ad prælia; qui inconsulto Mercurio mercari verentur qui nisi annuente Venere matrimonium contrahere detrectant; & quicquid simile est superstitionum, quæ parum aut nihil ab ipsa impietate absunt. Deniq; sunt & prædictiones ridiculæ quales sunt illæ quæ inter superstitiosas minimæ censeri possent. Hujus farinæ sunt eorum qui novis vestibus induendis, itineri obeundo, unguibus resecandis, venationibus alijsq; rebus ludicris certas quasdam siderum syzygias præficiunt. Hanc te Lector distributionem, hoc te discrimen tenere perquam sanè velim; ne dum physicas siderum observationes defendo, quisquam calumnietur

me ad impietatem prolapsum Chaldaicam, quam & Scriptura sacra non uno in loco condemnet, & constans orthodoxorum patrum consensus. Qua de re, postea pluribus agam in Confutatione.

Finis Astronomiæ.

Porrò artium forma fini earundem includitur: Restat ergo ut de fine Astronomiæ & Astrologiæ dicam: ubi non tam de earundem jucunditate cum honestate conjuncta, quàm de usu & utilitate adeoq; necessitate disquirendum. Plato ille divinus philosophus tantum attribuit Astronomiæ; ut ejus causa homini datos esse oculos existimârit. *Hæc*, inquit, *quæ de mundo disputantur, nunquam inventa essent, si neq; sidera neq; Sol neq; cœlum suspici potuissent. Cognitio verò diei ac noctis ab oculis orta, fecit ut dinumeratione quadam mensium annorumq; ambitus metiremur, tempus cognosceremus, universæ naturæ ordinem scrutaremur: Quibus ex rebus Philosophiam adepti sumus.* Deinde paucis interjectis subdit: *Nobis verò asserendum est, ob hanc potissimum rationem DEVM, oculos genuisse, ut Mentis circuitus qui in cœlo peraguntur intuiti, in usum redigamus nostræ mentis: cogitationisq; nostræ discursiones illis cognatas sed perturbatas quodammodo ad illorum temperiem revocemus. Et cùm illos agnoverimus, & recta ratione secundum naturam præditi singulorum ordinem perceperimus: conversiones DEI quæ sine ullo errore aguntur imitemur, atq; ad earum exemplum discursiones nostræ cogitationis vagas & erraticas componamus.* Idem & Ovidius inculcavit quando cecinit:

In Timæo.

— *Pronaq;*

Pronaq; dum ſpectant animalia cætera terram;
Os homini ſublime dedit, cælumq; tueri
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Certè pudor ſit natas cælo mentes hâc doctrina cæleſti non affici & delectari plurimùm. Eſt quidem totus hic orbis aſpectabilis plenus argumentorum divinitatis, quæ ſingulis in rebus creatis ſeſe offerunt: at nuſquam tamen tantus divinæ majeſtatis refulget ſplendor, quantus in lucidis illis cæli corporibus; qui utiq; non poteſt non æternam illam Dei ſapientiam, potentiam, benignitatemq; intuentis in animum imprimere. *Quoniam videbo cælos tuos* (inquit rex & propheta DAVID) *opera digitorum tuorum, Lunam & ſtellas quæ tu fundaſti: quid eſt homo quod memor es ejus?* Item, *Confitemini Domino qui facit mirabilia magna ſolus, qui fecit cælos in intellectu: qui firmavit terram ſuper aquas: qui fecit luminaria magna, Solem in poteſtatem diei, Lunam & ſtellas in poteſtatem noctis: quoniam in æternum miſericordia ejus. Magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus, & ſapientiæ ejus non eſt numerus. Qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt: qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. Laudate Dominum Sol & Luna: Laudate eum omnes ſtellæ & lumen. Laudate eum cæli cælorum, & aquæ quæ ſuper cælos ſunt. Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit & creata ſunt. Statuit ea in æternum, & in ſeculum ſeculi: præceptum poſuit & non præteribit.* Et *IOB; DEVS ſapiens corde eſt & fortis robore. Qui præcipit Soli & non oritur: & ſtellas claudit quaſi ſubſignaculo. Qui extendit cælos ſolus, & graditur ſuper fluctus maris. Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas &*

interiora Austri. Illa Davidis & Iobi testimonia finem indigitant Astronomiæ, nimirùm ut per illam Dei potentia, sapientia & philantropia agnoscantur celebrenturq; Invisibilia enim ipsius, dicente Paulo, à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoq; ejus virtus & divinitas. Atq; hic quidem primus est finis, usus & utilitas Astronomiæ.

Succedit jam alia utilitas, illa nimirum quam Historia hac ab arte capit. Omnem anni rationem à motu Solis potissimùm dependere norunt omnes; (neq; enim hujus jam loci est annorum differentias longius prosequi) rursumq; ab annorum recta supputatione omnem historiarum dimanare lucem & veritatem. Sequitur ergo jam inde à condito mundo omnem historiarum lucem & veritatem jacituram densissimis obrutam involutamq; tenebris: ni illam erueret vindicaretq; divina hæc ars. Quapropter immortali laude digni meritò censendi sunt illi, quicunq; anno vel constituendo primum, vel deinceps ad incudem revocando operam navarunt toti mundo non utilem modò sed & perquam necessariam. Neq; enim contractus & commercia rerumq; gerendarum justa opportunitas inter homines esse possent, nisi certa esset definitaq; temporum ratio. Quid ego hîc de Metonis? Quid de Iulij Cæsaris? Quid deniq; de Gregorij XIII. R. pontificis calculo? Res est non hujus loci. Sed enim rursus & altera quædam defluit ab Astronomia utilitas ad illos qui cum fructu aliquo & profectu vel remotiora orbis loca ipsi invisere, vel versari in legen-

legendis hiſtorijs cupiunt: Ridiculum certè genus hominum, qui peregrè profecti, cùm unam atq; alteram provinciæ cujuſpiam viderint urbem, domum reverſi quas turres quæ templa viderint, narrant: interim de loci ad quamvis mundi plagam ſitu: de aëris, aquarum & glebæ, tùm & de terrâ naſcentium aquatiliumq; natura tantum ſciunt, quantum ſciebant antea, cùm nondum pedem domo moviſſent. Quin hoc etiam minimè verebor addere, qui topographiam non adhibuerit: illum vel omnes omnium gentium legendo hiſtorias atq; earundem res quaſcunq; geſtas & oleum perditurum & operam. Tanta eſt divinæ matheſeos præſtantia & utilitas, ut vel mente comprehendi ſatis nequeat. Solebat divinus Plato auditorij ſui veſtibulo inſcribere ἀγεωμέτρητος μηδεὶς εἰσίτω; ratus neminem poſſe idoneum eſſe ad capeſſendam ſublimiorem philoſophiam, qui his ſtudijs animum non præparaſſet.

Tertia Aſtronomiæ utilitas redundat ad poëtas, qui haud vulgare quandoq; poëmatum ſuorum ab Aſtronomia deſumunt ornamentum; quando rei geſtæ aut tempus aut locum à cæli poſitu aſtrorumq; ortu vel obitu indigitant. Quomodo LVCANVS loquens de proceſſu Catonis in Lybiam verſus Æquinoctialem, inquit:

Non obliqua meant, nec Tauro rectior exit
Scorpius: aut Aries donat ſua tempora Libræ:
Aut Aſtræa jubet lentos deſcendere Piſces.
Par Geminis Chiron; & idem quod Carcinus ardens
Humidus AEgoceros. nec plus Leo tollitur urnâ.

Et Ovidius tempus notans.

Illa nocte aliquis tollens ad sidera vultum,
Dicet, ubi est hodie quæ Lyra fulsit heri?
Dumq; Lyram quæret: medij quoq; terga Leonis
In liquidas subitò mersa videbit aquas.
Quem modò celatum stellis Delphina videbas,
Is fugiet visus nocte sequente tuos.

Quartam utilitatem eamq; vel maximam ab Astronomia capiunt Cosmographi; non ut Geometræ per montes maria & flumina &c. terram distinguentes, sed per circulos cæli. Qui primi sub Æquatore constituti viderunt utrumq; mundi polum Horizonta stringere: atq; inde mox cælum in quatuor quadrantes: ipsosq; rursum quadrantes singulos in 90 gradus distribuerunt: cedò annon viam submini-strarunt ad totius terrarum orbis ambitum facili negotio cognoscendum? Posidonius cùm observasset Canobum stellam primæ magnitudinis Rhodi Horizontem stringere, & mox in mundi conversione occidere: eandem verò stellam Alexandriæ quæ sub eodem meridiano sita est, gradibus 7 & 30 minutis supra horizontem attolli: cognito quod Alexandria Rhodo distaret stadijs 5000: mox pronunciavit totius terræ ambitum esse 240000 stadiorum. Et meritò quidem: quòd quæ est ratio 7 graduum & 30 minutorum ad 5000, eadem etiam sit ratio 360 ad 240000.

Iam verò & Nautæ, nisi prælucente Astronomia, æquor recto tramite sulcare nequeunt; de quibus Vergilius:

Navita

Navita tum ſtellis numeros & nomina fecit
Pleïadas, Hyadas, claramq; Lycaonis Arctον.

Res meherclè admiratione digniſsima, poſſe hos, rude alioqui genushominum, inter media æquora, ubi quicquid in oculos incurrit nihil eſt niſi pontus & æther, latitudinem loci ſui inſtrumento mathematico ſic definire, ac per medios vaſti maris fluctus procelloſis tempeſtatibus variè jactatos, vel diſsitiſsimos quoſq; portus tam certa amuſsi collimare, ut ne hilum quidem aberrent. Obſecro verò totum hoc quantum quantum eſt, & quicquid uſpiam in humanum genus ex arte nautica redundat emolumenti: annon uni Aſtronomiæ feretur acceptum?

Agricolæ etiam ſive ſemina terræ mandaturi, ſive herbas plantaturi, ſive vites aut arbores putaturi, ſive ſimile quippiam operis acturi, ad ſidera & præſertim ad motum Lunæ reſpiciunt. *Sentire*, inquit Plato, *oportunitates menſium & annorum non minus rei militari quàm agriculturæ navigationiq; convenit*. De Repub. dial. 7.

Magna equidem ſunt quæ dixi Aſtronomiæ uſu compluribus in rebus: at ne conferenda quidem ad illa, quæ cùm in univerſa naturali philoſophia, tum verò vel maximè in ipſa medendi arte præſtat: id quod nunc venit demonſtrandum, eſtq; propoſitionum mearum tertia.

MEDI-

III. MEDICINAE ET ASTRONOMIÆ CONIVGIVM.

MEDICINAM adornavit ut sponsam, hujus sponsus est Astronomia: quarum duarum artium conjugium adeò est indissolubile, ut qui artem factitant medicam, procul astrorum consideratione; ego quidem nesciam utrum in illos festiviùs dici debeat, illudne quod ajunt Canis in balneo, an verò illud potius canis vivens è magdalia? Quod quidem quàm verè dicam, agè placet demonstrare gravissimorum authorum testimonijs. Magnus ille omnium medicorum coriphæus HIPPOCRATES COVS, lib. de aëre locis & aquis, sic scriptum reliquit: *Qui artem*, inquit, *medicam rectà investigatione consequi volet: is primùm quidem anni tempora in considerationem adhibere debet, quid horum quidq; possit: Neq; enim quicquam habent simile, sed plurimum differunt cùm inter se, tum etiam propter varias quæ in eis contingunt mutationes.* Et paulo post. *Quare si quis ad urbem sibi ignotam pervenerit, is ejus situs curam habere debet, ut cognoscat quomodo ad ventos aut Solis exortum sit exposita: neq; enim easdem vires habet quæ ad Septentrionem & quæ ad Austrum sita est, ut neq; ea quæ ad orientem Solem aut occidentem spectat.* Et rursum paucis interjectis.

Hippocratis authoritate probatur Astronomiam esse cum Medicina conjungendam.

Qui

Qui ista, inquit, *rectè cognoverit, is cujusq; temporis impendentis & anni statum prædicere poterit, & quinam morbi tàm æstate quàm hyeme in urbe communiter sint grassaturi, tum etiam quinam cuiq; privatim ex victus mutatione impendere debeant. Qui enim temporum mutationes astrorumq; ortus & obitus ut horum quæq; eveniant, tenuerit: is utiq; futurum anni statum prævidere poterit. Hac ratione investigando qui temporum occasiones præsenserit: is maximè cujusq; naturam cognoverit, & plerunq; sanitas illi succedet, minimumq; in arte à recta via aberraverit.* Deinceps addit Hippocrates. *Quod si cui ista ad rerum sublimium speculationem pertinere videantur: is si sententiâ destiterit, facilè intelliget ad artem Medicam, Astronomiam ipsam non minimum sed plurimum potius conferre: quippe quòd unà cum anni temporibus hominum ventriculi mutationem accipiant.* Eod. lib. *Præcipuè verò*, inquit, *maximæ anni temporum mutationes observandæ sunt: ut neq; medicamentum purgans libenter exhibeamus, neq; partes circa ventrem uramus aut secemus, ante dies decem aut etiam plures. Maximè tamen sufficient decem. Ac maximi periculi plena sunt ambo Solstitia, præcipueq; æstivum. Periculosissima etiam ambo AEquinoctia existimantur, maximè verò autumnale. Siderum quoq; ortus observandi, præcipueq; Caniculæ, deinde Arcturi, & Vergiliarum occasus. His enim potissimum diebus morbi judicationem subeunt, & alij quidem perimunt, alij verò desinunt, alijq; omnes in aliam formam & statum transeunt.* Plurima similia eodem habet libro.

Medicus debet ex astrorum ortu obituq; prædicere futurum anni & temporis impendentis statū: tum etiam quinam morbi æstate, quinam item hyeme sint grassaturi.

NOTA.

Astronomia ad Medicinam plurimum confert.

AEquinoctiorum tum & Solstitiorum tempora non sunt tuta ad medicationem.

Sed & libro 1. de victus ratione, inquit: *Quin etiam siderum ortus & occasus noscendi sunt: ut mutationes & ciborum ac potionum redundantias ventorumq; ac totius mundi, ex quibus sanè morbi hominibus proveniunt observare sciat, &c.*

Item lib. de inter. affect. loquens de Typho morbo, ait eum æstatis tempore invadere cum canis fidus oritur, bile per corpus agitatâ.

Atq; hactenus quidem hæc ex ipso Hippocrate; pro quibus rectè intelligendis potissimum tria diligenter distinguenda & separatim consideranda veniunt.

I. Primùm loquitur Hippocrates de quatuor anni temporibus, duobus Æquinoctiorum & item duobus Solstitiorum: quorũ illa ver & Autumnum, hæc verò Æstatem & Hyemem notant. Hæc temporum puncta hominibus mala decernere nec esse ad medicationem tuta, nisi post decem dies elapsos, vir divinus observavit. Elementistæ hujus rei causam fingunt quandam elementarium qualitatum intemperiem, quæ in illa incidat temporum puncta: sed duabus rationibus solidissimè refutari possunt. 1. quod & ipsius Hippocratis testimonio & ipsâ insuper experientiâ stultorum magistrâ ver omnium temporum probetur temperatissimum. 2. quòd stultum sit præcisè decem diebus statam quandam affingere intemperiem quotannis recurrentem: cùm plurimùm fieri possit ut decem illi dies à punctis illis cardinalibus labentes, & præcedentibus & sequentibus multo sint temperatiores. Agè igitur, dicet quispiam, quænam tandem vera est causa quamobrem his temporum punctis tanquam periculi plenis à medicatione abstinendum sit? Respondeo causam hanc esse, quòd observata ab Hippocrate sint esse decretoria, quibus morbi judicationem subeant, ac proinde ad medicationem minimè

Vera causa quamobrẽ cardinalia anni tempora non sint ad medicationem tuta.

tuta:

ruta: nisi quis fortè etiam Elementista à temperamento contra Hippocratem probet vel ipso die decretorio medicamentum purgans tutò exhiberi posse. Stet ergo hoc Hippocratem non harum aut illarum qualitatum elementarium notare excessum in illis temporum punctis, sed vim quandam secretiorem abditamq; : quam tametsi ut multa alia in rerum natura indagare non possimus, observare tamē liceat: quippe quæ quotannis sese exerat id temporis, quando Sol cursu suo naturali illos Zodiaci cardines decretorios tenet. Eadem est ratio & aliorum Zodiaci punctorum extra cardines positorum, quibus sidera quædam decretoria ut Vergiliæ, Arcturus, Canicula &c. cum Sole vel oriuntur vel occidunt.

II. Secundò meminit Hippocrates temporum & anni status. Id quid sibi velit etiam atq; etiam videndum est: ne tempora cum eorundem statu confundamus. Anni tempora sunt semper eadem, nam quotannis in eadem Zodiaci puncta incidunt. Idem constat & de ijs (maximas vocant) anni temporum mutationibus quæ nihil sunt aliud quàm transitus quidam de una temperie in aliam. Sicut enim fit transitus à vere in æstatem: ita & transitum fieri par est à temperie calida & humida in temperiem calidam & siccam, atq; ita deinceps: siquidem annus constans sit. Hoc te, licet puerile revera sit, tamen diligenter observare perquam sanè velim Lector, hos quatuor, quos dixi, temperierum seu temperamentorum transitus ex solo ortu atq; occasu quum Solis tum stellarum quarundam fixarum

Anni tempora quotannis eadem.

Maximæ anni temporum mutationes & ipsæ quotannis eædem sunt.

prænoſci equidem poſſe: quippe qui quotannis prorſus ſint ijdem (ſiquidem inquam annus conſtans ſit) perinde atq; & Solis & ſtellarum fixarum ortus obituſq; anni tempora diſterminantes quotannis ijdem ſunt: At enimvero quia non omnis annus conſtans eſt, temporaq; in quæ diſtributus eſt à propria ſua temperatura nonnunquam plurimum diſcedunt: conſectaneum certè fuerit & ſtatum anni temporum non eſſe quotannis eundem. Non enim Ver Veri, Æſtas Æſtati, Autumnus Autumno, Hyems Hyemi pari ſemper qualitatum temperie reſpondet. Hunc inquam multivarium anni temporum ſtatum quiſquis dicit prænoſci poſſe ex ſolo motu, hoc eſt, ortu atq; occaſu Solis & quarundam ſtellarum fixarum: ille meherclè dignus eſt qui inter aſinos rudat potius quam loquatur inter homines. Cum igitur Hippocrates palam & manifeſtè dixerit anni temporum ſtatum, & quinam morbi æſtate quinam item hyeme ſint graſſaturi Medicum & poſſe & debere prænoſcere ac prædicere ex aſtrorum ortu atq; obitu: conſequitur neceſſariò verba hæc ASTRORVM ORTV ET OBITV. non eſſe reſtringenda ad unum Solem & ſtellas quasdã fixas, ſed referenda eſſe ad varias planetarum ſyzygias. Iterum dico Lector vocabula ortus atq; obitus apud Hippocratem non eſſe reſtringenda ad ſtatos ortus obituſq; quum Solis tum ſtellarum quarundam fixarum: nam illi tempus quidem notare poſſunt, ſtatum vero temporis alium atq; alium conſtituere non poſſunt: quòd quotannis ſint ijdem. Ergo & ad planetarum ortus atq; obitus vocabula illa referenda

Anni temporum ſtatus non eſt quotannis idem.

Futurus anni temporum ſtatus non poteſt prænoſci ex Solis & quarundã ſtellarum fixarum ortu atq; occaſu.

Sed ex varijs ſiderum ſyzygijs.

renda erunt: ut per *ortus obitusq; astrorum* intelligamus varios siderum tam errantium quàm inerrantium positus & aspectus, quos configurationes, permistiones, concursus & implexus appellant, qui post Deum vera omnium tempestatum causa existunt.

Ortus obitusq; astrorum quid Hippocrati.

III. Tertiò facit Hippocrates mentionem Mutationum & temporum & statuum, de quibus forsan plus jam satis dixisse videri possim. Quando Sol Luna aliiq; planetæ transiliunt de signo in signum, & quam modò fecerant configurationem dissolvunt, moxq; iterum aliam extruunt, concurrente stellarum inerrantium modò harum modò istarum appositu: fieri utiq; nequit, quin temporum status & tempestates subinde mutentur, variaq; in morbis & humoribus concitandis fiat vicissitudo: imò ipsi etiam hominum ventriculi unà cum tempore, dicente magno Hippocrate, mutentur. Distinguuntur autem mutationes illæ maximarum & minorum differentiâ. Maximas anni temporum mutationes vocat Hippocrates, quæ incidunt in Æquinoctiorum & Solstitiorum puncta. Alias de quibus modò dixi minores & minimas, prout cujusq; fert ratio, appellare licebit.

Maximæ anni temporum mutationes.

Quid multa? Vult Hippocrates Medicum considerare astrorum ortus & occasus, 1. quia anni tempora distinguunt cum Sole orientia vel occidentia. 2. quia temporis statum constituunt. 3. quia temporis statum subinde mutant. 4. quia quædam astra, quædam etiam Zodiaci puncta vim quandam habent abditam eamq; decretoriam, per quam mala decernunt: sicut prolixius infra suo loco.

Iuvat hic aliquantisper gradum sistere, ac quot modis liber ille Hippocratis de aer. loc. & aq. à diversis in sensum contorqueatur diversum, ostendere.

Tres sententiæ diversæ de astrorum viribus.

I. Omnes qui rectè sentiunt de astrorum viribus, duo quædam illis tribuunt, nempe qualitates manifestas quas & primas vocant, consistuntq; in calido, frigido; humido, sicco; deinde & qualitates occultas, quales sunt quòd Magnes ferrum in utrumq; cæli verticem contorquet, quod heliotropium ad nutũ Solis circumagitur: &c. Vehicula quibus hæc stellarum vis rebus advehitur sunt earundem motus & lumen, tum verò vel maximè Mundi spiritus: Sicut in Physiologica Medicinæ parte edisseram.

II. Inveniuntur quæ occultas siderum facultates prorsus negent, dicantq; omnem eorum actionem in calido, frigido, humido & sicco consistere.

III. Alij ne facultates quidem manifestas sideribus volunt attribuendas nedum occultas, adeò ut vel ipsi Soli calorem inesse pertinaciter & mordicus negent, frustra reclamantibus & expresso Dei verbo & ipso sensu communi: Voluntq; cùm alijs astris tùm Soli nihil inesse præter solum lumen, quod sine calore vim habeat attenuandi, rarefaciendi & discutiendi. Quando Sol per hyemem à nobis digreditur, tum condensari aërem; quando ille rursum motu suo ad nos revertitur ac directiùs lumen suum nostro vertici immittit, tum Solis lumine attenuatâ ac discussâ aëris densitate suum aëri redire nativum calorem. Itaq; in astris nihil esse

Frischlin. lib. 4. cap. 6

virium

virium præter solum lumen. Hoc autem admoveri & abmoveri eorundem naturali motu. Vt præter lumen & motum, quo & anni tempora describuntur, nihil sit in astris quod res afficiat inferiores.

Attuli in medium tres diversas sententias eorum qui de astrorum viribus scripserunt, quarum primam me sequi profiteor, quam & in operis progressu tuebor, & veterum Hippocratis, Galeni, Aristotelis, Plinij, aliorumq; præstantissimorum Philosophorum fuisse ostendam. Nunc qui reliquis duabus adhæresçunt quomodo Hippocratis librum de aer. loc. & aq. contorqueant videamus.

Qui solas facultates primas manifestas calidum, frigidum, humidum & siccum astris attribuunt, ajunt Hippocratem toto eo libro nihil inculcare aliud, quam debere Medicũ ex futuro astrorum positu prædicere quasnam pro vario sui implexu sint excitatura tempestates vel calidas vel frigidas vel humidas vel siccas, vel deniq; ex his compositas, & quos hinc morbos productura. Refutantur duobus argumentis. 1. quòd Hippocrates simpliciter dixerit in medicatione vitandos esse decem dies à quolibet Zodiaci cardine labentes, nulla apposita conditione caliditatis, frigoris, humiditatis aut siccitatis. Vnde perspicuum est perperam vim decretoriam Æquinoctiorum, Solstitiorumq; in qualitate poni manifesta: estq; falsum nil voluisse Hippocratem toto eo libro aliud, quàm qualitates Medico considerandas esse manifestas. 2. Quidam morbi quilibet tempestate contingunt, ut pestilentes: Ergo à prævisa qualitate manifesta non potest prædici quili-

Qui solas qualitates siderum manifestas admittũt: quomodo Hippocratem conторqueant.

quilibet morbus. Consectaneum est igitur Hippocratem non esse locutum de solis qualitatibus manifestis.

Sed enim instant ipsumq; optimum Hippocratis allegant interpretem Galenum, qui dixerit *Divinum in morbis* nihil aliud significare Hippocrati, quàm ambientis nos aëris constitutionem. Respondeo id me equidem concedere, sed verò vocem *Constitutionis*, ambigua cùm sit ob generalitatem, esse explicandam. Si constitutionem intelligimus qualitatum primarum calidi, frigidi, humidi, sicci: jam omnem ut aëris constitutionem divinam vocemus, consectaneum est. Hoc verò ridiculum utiq; fuerit: ridiculum igitur & illud. Restat ergo ut *Divinum* illud aëris quidem intelligamus constitutionem, sed inquam quæ constituta sit non à qualitatibus manifestis, verùm ab occultiore maligna excretione siderum: de qua pluribus agam in Pathologica Medicinæ parte.

Postremò & ex Aristotele plumbeum hunc depromunt pugionem. Aristoteles dixit, *Siderum ortus Arcturi, Orionis, Vergiliarum, Caniculæ, flatus imbresq; excitant: serenitates, frigora, teporesve solent afferre:* Ergo Aristoteles nusquam agnovit vim occultiorem, quâ elementum stellarum naturas afficit illi proportione respondentes. Ridiculum mehercle, perinde ac si hunc in modum argutirentur. Aristoteles dixit graculum esse avem: Ergo aquilam avem esse neq; sensit neq; usquam perhibuit. Vides opinor Lector non esse operam ponendam in ejusmodi argutiolis fusiùs diluendis, quæ suapte absurditate ipsæ concidunt.

Qui

Qui utrisq; facultatibus, hoc est, & manifestis & occultis sidera privant, nihil in illis agnoscentes præter motum & lumen; quorum ille sidera admovet & abmovet, hoc vero aërem attenuat; omnium maximè ridiculi sunt, & compluribus sese involvunt incommodis, errore, quod ajunt, trudente errorem. Primum quidem quod negant facultates siderum manifestas, non levis est error: nam unum eundemq; Solis motum, unum idemq; Solis lumen, eodem in signo Zodiaci; unam eandemq; aëris attenuationem, tam varias producere tempestates, parvo quandoq; temporis momento, modò caloris, modò frigoris, modò humiditatis, modò siccitatis; perabsurdum certè est. Obsecro cum lumen affingant astris omni prorsus qualitate nudum: rationem nobis si possunt reddant, cur Solis quidem lumen humores consumat absorbeatq;, Lunæ verò lumen humores augeat? Allegat quidem Frischlinus Aristotelem lib. de cœlo. Sed non est æquum ut Aristoteles ipsi Dei verbo præjudicet. Imo cum ne ipse quidem Frischlinus Aristotelis amplectatur sententiam de origine luminis stellarum: neq; nos cogi poterimus ut ejus amplectamur sententiam de origine caloris earundem. Nam Aristoteles lumen & calorem stellarum conjunxit & eandem utriusq; originem ad unum motum retulit *Lib. 2. de cœl. cap. 7.* Ridicula mehercle opinio Solem, qui ejusdem cum suo orbe sit substantiæ, caliditatem lumenq;, dicente Aristotele, ideo facere quia aer ab illius motione fricatur. Quod si verum sit, jam ob motum Solis continuum, & continuum ut lumen sit calorq;, ne-

Ridiculi sunt qui siderum & manifestas & occultas qualitates negant, vel etiam alterutrã.

cesse fuerit, non eo duntaxat puncto ubi orbi suo infixus hæret Sol sed toto orbe: Quædam igitur Aristotelis de cœlo recipimus, quædam verò rejicimus. Concedimus sanè cœlos alios in alios, qualitatibus manifestis non commutari, perinde atq; elementa alia in alia commutari docuit Aristoteles *De generat. & corrup. lib. 2. cap. 4.* Quod autem Aristoteles cœlum nobis commentus sit æternum quod neq; genitum sit neq; ullo modo corruptibile, id verò negamus. Ita stellarum & lumen & calorem non aëris confrictioni tribuimus, sed Creatoris verbo & præcepto omnipotenti, dicimusq; non aëri tantùm inesse sed ipsis etiam cœlestibus corporibus, quæ & calorem & lumen in aërem exufflant. *Genes. 1. 14. 15. 16. 17. 18. 19. Psalmo qui in versione latina est 18. in Hebræo autem 19. vers. 7. Ecclesiastici 43. 4.* Deindè quod facultates siderum negant occultas non minor error est: etenim unum Solis motum & lumen, & aëris attenuationem, vel nubilo die, solum heliotropium circumducere, reliquis floribus manentibus immotis: ridiculum est. Rursus unum Solis motum, unum Solis lumen, unam aëris attenuationem, ferrum vi Magnetis imbutum versus cæli cardines contorquere, æs verò orichalcum aliaq; metalla non item; & hoc absurdum est. Illa quæ suo loco ex Galeno lib. 3. de dieb. decretor. in medium adferam, ad solam referre aëris attenuationem, quæ fit lumine & motu cùm Solis tum aliorum astrorum; extrema certè fuerit insania.

Nunc

Nunc videamus quomodò Hippocratem nobis exponant isti Motuluministæ. Ajunt HIPPOCRATEM *lib. de aer. loc. & aq. nihil velle docere aliud, nisi consideranda esse Medico anni tempora, ventos, loca & regiones. Nec alia de causa Caniculæ, Arcturi, Vergiliarum exortus vel occasus solstitiaq; & AEquinoctia observanda esse, quàm ut Medicus per ea agnoscat temporum mutationes: cum quibus etiam hominum ventriculos dixit permutari.* Quibus quidem verbis duo insunt fædi errores quorum prior est. Cùm Hippocrates nihil præcipiat aliud quàm anni tempora observare. Anni vero tempora describantur à Sole per puncta Æquinoctiorum Solstitiorumq;, tum & per ea Zodiaci loca cum quibus Canicula, Arcturus, & Vergiliæ vel exoriuntur vel occidunt gradiente: perperam hunc Hippocratis librum allegari ad reliquorum etiam planetarum eorundemq; syzygiarum effectus adstruendos: Vt jam secundum Motuluministas verba Hippocratis *Astrorum ortus obitusq;* intelligenda sint de uno planetarum Sole & stellis quibusdā fixis, anni tempora describentibus, puta Vergilijs, Arcturo & Canicula: reliquis planetis non connumeratis. Secundus error. Quòd quæ dixi Zodiaci signa & astra mutationum temporum non causæ sint efficientes sed nuda duntaxat signa: hoc est, quæ motu suo ad quæcunq; Zodiaci loca accedunt, lumen secum advehant, ac lumine aërem attenuent quidem sed nullam tamen aëri qualitatem sive manifestam sive occultam immittant: quippe quòd aër ipsus suapte naturâ in se contineat vel alijs mutuari possit ab elementis omnes illas qualitates ad eas ciendas tempestates, quibus res

Qui utrasque siderū qualitates negant: quomodo Hippocratem contorqueāt, Frischlin. lib. 5. cap. 13.

quas ambit, atq; ipsi etiam hominum ventriculi permutantur, habeatq; nulla re opus perficienda cælitus præterquam sola attenuatione.

Respondetur Frischlino.

Ad primum errorem quod attinet: potest ille levi negotio confutari vel uno Astronomiæ vocabulo quo Hippocrates utitur, quod utiq; non patitur se tam angustis circumscribi terminis. 2. vocabula *astrorum ortus atq; obitus* nullo jure restringi possunt ad unum Solem tum, & ad stellas fixas, exclusis reliquis planetis. 3. Quamquam ipsa anni temporum puncta, tum & statæ eorundem mutationes ex solo motu Solis & stellarum quarundam fixarum ortu atq; occasu præsciri facilè possint: est tamen impossibile alium atq; alium anni temporum statum, quo nimirum Ver à Vere, Æstas ab Æstate, Autumnus ab Autumno, deniq; Hyems ab Hyeme differt, ex solo ortu atq; occasu quum Solis tum quarumcunq; stellarum fixarum præsagire. Ratio in promptu est manifestissima juxta ac invictissima. Nam cùm Solis motus quotannis idem sit, stellarumq; fixarum positus & ipse idem, ipsaq; anni tempora in eadem quotannis incidant Zodiaci puncta: demens certè sit qui hinc prædicere velit alium atq; alium futurum anni temporum statum. Indoctum igitur juxta ac impudens est cavillum Motuluministarum asserentium Hippocratem locis citatis præcipere ac jubere Medicum alium atq; alium anni temporum statum prædicere, à causis & signis quæ non sunt alia atq; alia, sed quotannis eadem & sibi similia. Proh seculum! tam stupida obtusaq; mentis acie quempiam reperiri mortalium qui

Probatur Hippocratem lib. de aer. loc. & aq. non de uno Sole & stellis quibusdã fixis, sed in genere de siderũ syzygijs esse locutum.

qui non videat Hippocratem velle alium atq; alium anni temporum ſtatum prædicendum eſſe à cauſis ſignisq; alijs atq; alijs! Has autem cauſas & ſigna cùm diſertè vocet *aſtrorum ortus & obitus*: conſequitur utiq; neceſſariò hæc verba Hippocratis intelligenda eſſe non tantùm de naturali Solis motu & ſtellarum quarundam fixarum ortu obituq; ordinario fixo & quotannis eodem, ſed de varijs planetarum omnium, tum & aliorum quorumcunq; aſtrorum permiſtionibus, prout aliæ aliæq; alijs atq; alijs in ſignis ſubinde contingunt, ſicut jam antea ediſſerui. 4. Iam neq; hoc etiam ex ſolo motu Solis & ſtellarum fixarum cum Sole vel orientium vel occumbentium poſitu præſciri poteſt quinam morbi æſtate, quinam etiam hyeme graſſaturi ſint, ſed ijſdem à planetarum alijs atq; alijs ſyzygijs diſcendum eſt. 5. taceo peſtilentiam ſive hominum ſive pecudum non magis è ſolo motu Solis & ſtellarum fixarum ortu vel occaſu prædici poſſe, quàm ex arena necti funiculus.

Alter Motuluminiſtarum error eadem ratione jugulatur. Si enim Zodiaci cardinum tum & Pleiadum, Arcturi Caniculæq; cum Sole ortus atq; obitus nuda duntaxat ut temporum, ita & mutationum eorundem eſſent ſigna, mutationesq; tempeſtatum ſuæ quibuſq; temporibus per ſe propriè & ſuâpte naturâ ineſſent: jam utiq; neceſſariò conſequeretur oportere temporum eandem prorſus quotannis incidere temperiem. Atqui hoc longè falſiſſimum eſſe mundus novit univerſus. Itaq; temporum mutationes cum Hippocrate ſignis Zodiaci

Probatur aſtrorum & ſignorũ Zodiaci ortus atq; occaſus mutationum temporũ non ſigna duntaxat eſſe ſed & cauſas.

tum & sideribus non ut nudis duntaxat signis sed ut veris, post Deum, causis efficientibus attribuemus tantisper, dum quis veriores nobis causas physicas non dicam velut per somnium monstret sed certis rationibus demonstret. Vt autem astra in duo summa genera nempe errantium & inerrantium rectè distribuuntur: ita & temporum mutationes ab his profectæ, & ipsæ duûm erunt generum, nempe aliæ erraticæ, aliæ vero statæ seu fixæ. Statæ quidem debentur Soli per Zodiaci cardines & regiones Vergiliarum Arcturi, Caniculæ aliarumq; stellarum fixarum decurrenti, quibus & stellis & Zodiaci punctis sua quibusq; peculiaris natura & vis ineſt, quum in facultates manifestas fæcundas, tum verò decretoria eaq; occulta quam observandam præcepit Hippocrates. Erraticas verò temporum mutationes (quæ vario planetarum debentur implexui) intellexit Hippocrates quando medicum à siderum ortu obituq; alio atq; alio morbos prædicere jusſit alios atq; alios. Tanta enim errantium stellarum vis est ut variâ permistione sui vel ipsas anni temporum statas tempestates non rarò obtundant atq; immutent, morbosq; alios atq; alios subinde generent cùm manifestos tum occultos. Deniq; utrasq; hoc est, & statas & erraticas temporum mutationes simul est complexus Hippocrates, quando Medicum generaliter jusſit ab ortu obituq; astrorum prædicere futurum anni & temporis impendentis statum.

Temporũ mutationes duûm sunt generum.

Cæterum illud Motuluministarum ridiculum argumentandi genus obsecro te docte Lector, ut

atten-

attentiùs mecum consideres, quòd, quia cùm anni temporibus ipsi etiam hominum ventriculi mutentur, propterea negent hujus mutationis causam esse astra: perinde ac si ventos, quia vela navem impellunt, impellendæ navis causam esse eant inficias, Si Galeno uti voluissent præceptore, jam equidem discere potuissent duplicem esse astrorum virtutem, unam propriam alteram communem. Communem quidem quam mediante lumine ac mundi spiritu tanquam vehiculis, in aërem omnibus rebus sublunaribus communem exercent qualitatibus manifestis; qui quidem aër modò à Sole modò à Luna modò alijs ab astris variè affectus mutatusq; ipse deinceps res terrenas atq; inter cætera animalium quoq; ventriculos ijsdem quas dixi qualitatibus manifestis afficit & mutat. Propria verò siderum vis illa est quam Sol, Luna astraq; alia & signa Zodiaci facultate occulta & sympathia quadam singulari ijsdem quæ dixi vehiculis in res quasdam exerunt peculiares. Agè utramq; astrorum virtutem aliquantò fusiùs prosequamur atq; exemplis etiam illustremus.

Duplex astrorum virtus.

Communis quidem astrorum virtus exeritur tum, quando sidera sua quæq; pro naturâ in facultates manifestas fœcundâ (quam suo loco ex Plinio enarravi) varias manifestarum qualitatum in aëre tempestates & mutationes cient; quas quidem qualitates manifestas siderum aer in se receptas mox tanquam causa communis & proxima rebus quas ambit universis reddit atq; impartitur, nec est ulla rerum naturalium quæ illas respuat ac recipere renuat

Communis astrorum virtus in qualitate consistit manifesta.

Recipitur rebus ab omnibus.

nuat ob familiaritatem temperamenti; quippe quæ omnes temperamento constant ex qualitatibus manifestis constituto. Vt hæc siderum affectio communis (quæ in calido, frigido, humido & sicco atq; horum vario implexu & permistione consistit) ad aërem ceu ad causam efficientem proximam meritò referenda videatur. Convenit enim inter philosophos de elementis, Ignem & Aërem efficiendi vim habere. Ea igitur efficiendi vi quam suapte natura jam inde à prima origine habet aer, utiq; & communicatam seu immissam sibi cælitus affectionem rebus quas ambit communiter omnibus reddit impertitq; tanquam causa efficiens.

Propria siderum vis in qualitate consistit occulta.

Propriam siderum vim aliàs decretoriam & occultam vocamus, quòd in qualitatibus manifestis minimè consistat. Hanc virtutem occultam Aër itidem cælitus demissam in se recipit, & rebus quas ambit universis vi sua effectoria imprimere quidem nititur, sed non recipiunt eam res peræquè omnes, perinde atq; affectiones qualitatum manifestarum, quòd occulta qualitas nihil commune habeat cum communi rerum temperamento, quod in qualitatibus manifestis calido, frigido, humido & sicco consistit; sed eæ duntaxat res hanc affectionem propriam admittunt, quarum natura proportione respondet illarum stellarum partiumq; Zodiaci elemento, à quibus excretio hæc in aërē dimanavit. Exempli gratia. Vi Solis circumagi Heliotropium constat. Hæc Solis vis non consistit in calido, frigido, humido, sicco; alioqui omnes res quæ ejusdem cum Heliotropio sunt temperamenti ad nutum Solis

Non recipitur ab omnibus rebus.

Probatur siderum qualitas occulta.

circum-

circumagi oporteret, imò necesse esset omnia Heliotropia eodem temperamento esse prædita, quod manifestò est falsum. Consistit igitur hæc affectio in qualitate non manifesta sed occulta. Hæc Solis qualitas occulta Solis lumine ac motu impulsa ac vectore mundi Spiritu devecta, antequam ad Heliotropium pertingat aëri communicatur, qui illam in se recipit quidem perinde ut qualitatem quamcunq; manifestam, nititurq; deinceps rebus eam reddere atq; impartiri quascunq; ambit inferioribus, tanquam causa communis; sed non reddit tamen, quòd non ut qualitas manifesta admittatur ab omnibus. Solum Heliotropium avidissimè eam haurit. Ratio & causa est non in aëre sed in eo quod natura Heliotropij proportione respondeat elemento Solis, quæ quidem proportio absit ut in qualitate consistat manifesta; nam sic aliæ etiam res familiaritate temperamenti eã reciperent. Huc pertinet quòd Luna cum Sole conjuncta jam silens nihilq; suo lumine jam de aëre decernens, tamen, perhibente Plinio, & fruges rubigine inficiat, & formicam suis prodire latebris prohibeat. Exempla postea referam complura, quando de formæ viribus agam: nunc unicum insuper ex Galeno depromptum addidisse sufficerit, quod suo tamen loco fusiùs enarrabo. Ait Galenus si quis in morbum incidat acutum, Lunâ id Zodiaci signum tenente, undè nascentem pernicioſa siderum permistio aspexit: illum morbum ut plurimùm lethalem fore. Vnde talem casum exstruamus. Duo quidam homines pariterè ætate viribusq; & consimili temperamento, eodem prorsus

corripiuntur morbi genere, Luna ♂ tenente. Horum alterum nascentem pernicioſa ſiderum permiſtio è Tauro aſpexerat; cui primo die critico in ♌ cõtingente morbus ad pejora declinat: alter criticus in ♏ incidit, quo viribus paulatim labentibus ac morbo prævaleſcente; tandem tertio critico in ♒ æger extinguitur. Alter quem naſcentem his Zodiaci locis nulla pernicioſa vis ſiderum fuerat intuita, laudatâ criſi materiâ morbificâ foras exactâ, valetudini reſtituitur. Vides utiq; docte Lector in his Galeni verbis nullam intelligi poſſe qualitatem manifeſtam aëris, quâ factum ſit ut hic convaleſceret, ille verò moreretur; ſed cauſam hujus rei omnem eſſe poſitam in eo quòd natura morientis proportione reſponderit elemento ſtellarum, quæ ex hoc cœli loco aphetico naſcentem maligniore radio aſpexerant: Convaleſcentis verò natura non item. Vnde cuivis manifeſtum evadit toto cœlo aberraſſe illos, qui ſcribere non ſunt veriti, *Galenum nullam qualitatem occultam in aëre meritò ſtellarum agnoviſſe.* Scio equidem nullum unquam extitiſſe ſcriptorem qui vim facultatum primarum luculentiùs enucleaverit quàm divinus ille Galenus: Sed & hoc ſcio neq; ullum dari poſſe ſcriptorum veterum, (niſi quis unum fortè Avicennam excipiendum cenſeat) qui occultas cœli & ſtellarum facultates vel apertiùs in apricum eruerit vel medico diligenter obſervandas eſſe ſeveriùs inculcârit, quàm idem Galenus. Sicut paulo pòſt docebo. Hactenus leves quaſdam vanaſq; & futiles diſcuſsi ſtrophas quum Motuluminiſtarum tum eorum qui ſolas admittunt ſiderum qualitates mani-

manifestas. Ignavus certè fuerit qui tantulis argutiolis clavam sibi de manu erui patiatur Hippocraticam: indoctus qui tantulis se irretiri patiatur inanium verborum salebris. Nunc in Hippocrate nostro progrediamur.

Quæcunq; ex Hippocrate citata sunt hactenus, partim generalia sunt de astrorum observatione, universim dicta, partim verò specialia de motu Solis in quatuor Zodiaci cardinibus totidem anni tempora disterminantis, deq; ipsa Cardinalium Zodiaci punctorum natura, tum etiam de alijs quibusdam astris in quibusq; anni temporibus cum Sole, vel orientibus vel occidentibus. Nunc operæ precium fuerit & illa cognoscere, quæ idem Hippocrates scripsit speciatim de motu Lunæ, ejusdemq; effectibus planè stupendis cùm alijs in rebus naturalibus tum verò in corpore humano. Præclara certè sunt quæ habentur prænotionum lib. 3. cap. 1. & 2. itemq; Aphoris. 24. 2. ubi rationem dierum criticorum tradens, ait *dies quartanos septenorum esse indices &c. sed non posse tamen quicquam horum integris diebus exactè numerari: quod neq; annus neq; menses integris diebus numerari possint.* Hæc Galenus explicans & pleniùs edisserens, inquit: *Si dierum numerus ipse decernendi facultatem haberet: non frequenter diebus imparibus, rarò paribus, verùm perpetuò imparibus nunquam paribus de acutis morbis judicium fieri oporteret. Neq; enim septimi vel quarti numerus crisis author est, sed quòd Luna innovante, & terrena immutante motuum quoq; circuitus ad hos principes numeros venire contingat: meritò in ipsis tanquam stata alterationum tempora inveniuntur: Quippè non à numeris sed à Luna mutationes terre-*

Lunæ vires ex Hippocrate.

De dieb. decret. lib. 3. cap. 8.

nis adveniunt. At cum in motu mutans consistat: tempus mutationibus necessariò conjunctum est: quare etiam numerus necessariò. Capite sequenti rationem reddens cur dies vigesimus magis decernat quàm vigesimus primus, ait *id fieri, quòd septimana non integris septem diebus constet, id quod ipsus etiam moverit Hippocrates*, cujus deinde citat testimonia ex opere prognostico. Deinceps quod assumpserat, nempe Septimanam non integris septem diebus constare quàm eruditissimè probat, mense illo quem medicinalem vocant, & dies continet 26, adhæc dimidium & tertiam maximè & duodecimam unius diei dimidij partem, per 4 diviso. Tandem concludens inquit: *Iam sanè ostendi secundum rerum veritatem & Hippocratis sententiam, nullam horum supputationem per dies integros fieri posse, hoc est, absolutè citraq; fracturam: neq; septimanam neq; quaternionem neq; mensem neq; annum neq; alium quemvis numerum.* Hactenus Galenus. Vide igitur atq; observa Lector quæcunq; de motu Lunæ, de mense medicinali, de crisibus à motu Lunæ concitatis doctissimè scripsit Galenus, hæc eum non à superstitiosis mutuatum esse Chaldæis, sed è penu deprompsisse Hippocratico, adeoq; ex ipsis reconditissimis Naturalis Philosophiæ penetralibus in apricum eruisse; id quod postea cap. 12. concludens expresis verbis ipsus palam attestatur adeoq; & protestatur, quando inquit: *Ame itaq; veritatem ipsam, quantum homini licet, inventam esse puto: quam quidem & Hippocrates prius cognoverat, sicut & præscriptis verbis indicavit: vulgare autem medicorum genus præsegnitie eam subticuit. Enimverò nec aliud quippiam ab Hippocrate frustra scriptum invenio, nec*

Segnities vulgarium medicorū.

nio, nec illud quod ulla horum computatio totis diebus fieri nequit. Atq; principium non Astronomis tantùm, vel naturalibus philosophis, sed agricolis quoq;, & nautis, hominibusq; omnibus receptum assumi: Lunam videlicet terrestrem plagam, veluti principem quendam magni regis Solis immutare. Hujusmodi circuitus dies decretorios sequi demonstravimus. Hucusq; Galenus. Cæterum de motu accessionum diebus imparibus evenientium in Therapeutica Medicinæ parte dicam, ubi illis respondebo qui statas morborum crises ad occultum naturæ motum, quo accessiones concitat, referre conantur: quasi verò quod ordinatum esse debet, dependere possit abeo quod est inordinatum. Atq; hactenus quidem ex Hippocrate docui Astronomiam esse cum Medicina conjungendam, neq; posse quenquam feliciter in Medicina versari sine motuum cælestium cognitione & diligenti observatione; nunc ad Galenum transeo.

Dies decretorij sequuntur circuitus Lunæ.

Ridiculus videri possim & quod ajunt maris vel arenam vel undas numeraturus, si Galeni testimonia de usu Astronomiæ in arte Medica colligere instituam. Sed enim mi Lector non equidem hoc ago, quippe quod integra Galeni volumina in gyrum cogere angustæ orationis neq; possim neq; debeam neq; etiam velim. Excerpenda tamen erunt paucula quædam, ad confundendos illos scilicet præclaros Medicos, qui se ajunt in morbis curandis inspicere velle non planetas sed plantas.

Galeni authoritate astruitur Astronomiam esse cum Medicina conjungendã.

Libro citato cap. 2. tria docet. Primum de vi astrorum in hæc inferiora corpora universim loquens ait: *Omnium certè superiorum astrorum potentiâ*

Astrorum vires ex Galeno.

fruimur. Deinde separatim de Sole differens dicit eum *esse Regem quempiam maximum, & omnium planetarum potentissimum, qui orbem exornet disponat q̃, & qui Veris, Aestatis, Autumni & hyemis author sit. Nullum esse planetarum qui tam manifestè at q̃. Sol ex terrestri fece animalia generare possit, item q̃ fruges maturare, & ad coitum generis q̃ propagationem animantia provocare.* Tertiò Lunæ vires commemorat *quã non potentiâ cæteros planetas sed sola vicinitate exuperare* asserit. Vocat hanc *principem quendam non mediocrem, qui terrestrem regionem gubernet, omnia tamen Solis beneficio debeat. Hanc* inquit *fructus augere & incrassare; animantia implere; menstruorum statum tempus mulieribus conservare; comitialium circuitus custodire indè quod Solis plus vel minus participat; falcatam languidam esse, plenam verò validam; fruges adaugere & maturare celerrimè; ferarum occisa corpora in tabem visu suo resolvere; somno q̃ sopitis sub ejus lumine, vel aliter diutius immoratis pallorem & capitis gravitatem conciliare.* Deinde cap. 3. docet *vehementiores & diuturniores mutationes evenire, quando Luna cum Sole coit: proximas his esse sed breviores plenilunij: minores his dum medio orbe apparet: deniq̃ obscuras dum curvata incornua, aut falcata videtur:* Porrò cap. 4. tempus circuitus Lunæ distinguit à tempore ejusdem actionis communis. Breviter, discrimen tradit inter mensem synodicum, periodicum, apparitionis & medicinalem; qui, facta diligenti supputatione, si inter periodicum & apparitionis medius constituatur, continet 26 dies adhæc dimidium & tertiam maximè & duodecimam unius diei dimidij partem. Deinceps cap. 5. ostendit Lunam immutare menses, & humores in rebus validè concitare universis, non susq; deq; sed

Mensis Synodicus Periodicus Apparitionis. Medicinalis.

septima-

septimanatim: obseruatô quidem, sicut & jam antea dixi, transpositionem Lunæ tetragonon non diebus septem integris circumscribi. Et quidem mensem à Luna immutari secundum septimanas est perspicuum nec eget probatione. Quòd autem aliæ res universæ inde quoq; mutentur, his sequentibus verbis edisserit Galenus. *Adhæc*, inquit, *post seminis conceptionem Impregnatio: Insuper nihilominus hac & post partum Adauctio: Item omne Actionis initium magnas alterationes in septimanos circuitus retinet. Quæ namq; in diem omnibus quæ subsistunt incidunt: horum causam Luna habere observata est: maximè in tetragonis & diametris stationibus ea immutans. Nam si Luna in Tauro existente semen concipiatur, vel partus vel omnino alterius cujusdam principium contigerit: magnas ejus mutationes invenias cum in Leone, Scorpio & Aquario Signiferum ambit. Verum in Leone tetragonos, id est quadrata statio septimanæ unius existit. In Scorpio diametra duas septimanas habet. Ita quoq; in Aquario secunda quadrangularis statio in tertiam septimanam procedit, idq; necessariò: quòd Luna, sicut antè diximus, vicenis diebus septenisq; & particula quadam adjecta maximè tertia diei parte universum Signiferi ambitum peragit. Si namq; in toto tempore totum orbem pertransire oportet: constat quartam ipsius partem in septem propè diebus eam expediturum. Proinde hujus te admodum meminisse ad futura convenit, nempe Lunæ transpositionem tetragonon non diebus septem integris circumscribi.* Caput 6. certè perpulchrum est quò demonstrat quinam dies salutares quinam itidem infesti, non modò ægris sed etiam sanis futuri sint, posse ex Luna prænunciari. Si enim Luna ad planetas temperatos steterit, quos Latini salutares, Græci ἀγαθοποιὰς

Cap. 5.

NB.

Loca Zodiaci Calenohylegialia aphetica seu anæretica.

mès nominant: fauſtos ac bonos dies producere.
NB. Sin ad intemperatos: graves moleſtoſq;. *Statuamus* inquit Galenus, *homine quodam naſcente ſalutares planetas in Ariete, malignos in Tauro eſſe. Is homo nimirum cùm Luna in Ariete, Cancro, Libra & Capricorno fuerit pulchrè deget: cùm verò Taurum ipſum vel Tetragonum aliquod vel Diametrum ſignum occupat, malè tunc & moleſtè vitam tranſiget. Atq; jam morborum initia huic, cùm Luna in Tauro, Leone, Scorpio & Aquario fuerit, peſſima: Sine periculo autem & ſalutaria ſunt, cùm Arietem, Cancrum, Libram & Capricornum Luna permeat. Ad hæc alterationes magnas, quas in tetragonis & diametris per ſeptimanas fieri diximus, in lethalibus quidem morbis lethales, in ſalubribus bonas evenire neceſſe eſt.* Et paulò poſt. *Lunæ tetragonæ & diametræ ſtationes in principijs bonis bonas faciunt alterationes; in malis, malas.* Et iterum. *Suo quæq; res principio circuitus ſequentes univerſos conſonos habet.* Notabis autem Lector dicere quidem Galenum hanc doctrinam inventam eſſe ab Ægyptijs aſtronomis, ſed ſimul addere *& à ſeipſo eſſe obſervatam & veriſimam ſemper compertam.* Præterea hoc eodem è fonte manaſſe *quod Hippocrates maximè damnârit immutationes quæ in diebus decretorijs ad pejora declinant.* Tertiò quod Galenus ſermone ad Medicos converſo dicat: *Atq; hoc præterquam quod Aſtronomis in confeſſo eſt, integrum eſt & tibi obſervare.* Quin etiam additâ interminatione, *Sin,* inquit, *hujusmodi deprecaris, nec ijs qui obſervârunt fidem adhibes: indubiè ſophiſtarum ubiq; nunc obſtrepentium aliquis es, qui ratione manifeſtò apparentia nos approbare poſtulant: cum è contrario ex evidenter apparentibus, abditorum ratiocinatio indaganda eſſet.* Quæ deinceps toto libro ſequuntur pulcherrima certè

certè sunt & Medico philosopho per quam digniſſima, sed longiora & plura quàm ut huc asscribi aut posſint aut debeant. Hoc unum abunde mihi satis est manifestè probasse, me Astronomiam ex sententia & præcepto magni Hippocratis pariterq; & Galeni cum Medicina esse conjungendam. Eant ergo nunc Authores illi novi & ad ravim usq; quando ita placet vociferentur, se velle in morbis curandis non planetas sed plantas inspicere. Inspiciant, sanè quicquid inspicere digni sunt, digniores equidem qui rudant inter asinos quàm in schola loquantur Galenica.

Duorum graviſsimorum hominum nempe Hippocratis & Galeni testimonijs astruxi Astronomiam esse cum Medicina conjungendam. Quæ quidē testimonia singulari consilio statim in hujus tertiæ partis vestibulo vice præambuli esse volui. Nunc porrò pretium mihi videor facturus operæ, si Medicinâ in suas distributâ partes quid in singulis Astronomia, habeat momenti, demonstrem. Cùm autem varij Medicinam variè partiantur: ego illam partitionem quam omnium semper optimam censui, prosequar: ut Medicinæ partes sint tres. 1. Physiologica. 2. Pathologica. 3. Therapeutica: de quibus ordine quàm potero breviſsimè dicam.

I PHY-

PHYSIOLOGICA PRIMA MEDICINAE PARS.

QVæcunq; de artis Medicæ subjecto, quæcunq; itidem cùm de Subjecto Astronomiæ tum etiam de Astrologicorum theorematum certitudine dixi: ad hunc locum maximè pertinent. Prudentem lectorem rogo ea huc accommodet: mihi quidem quantum potero ταυτολογίας crimen evitare propositum est. VersaturPhysiologica circa res naturales quas & salubres vocant. Cùm autem nulla omnino res sit vel terrestris vel aquatilis, quæ non aliquem in Medicina usum præstet: consequitur omnes à Medico esse considerandas: nedum ut solum humanum corpus Medicinæ subjectum sit. Quisquis autem Medicus res exacto judicio vult considerare, tria diligenter perquirat necesse est. 1. rei generationem. 2. rei genitæ vires. 3. utendi modum, qua nimirum tecmarsi in usum trahenda sit medicum. Age placet hæc tria ordine prosequi.

DE RERVM GENERATIONE.

Efficiens. CAusa rerum generandarum efficiens alia est principalis eaq; hyperphysica, nempe rerum omnium creator & conservator Deus, Alia administra, eaq; & ipsa aut hyperphysica, ut sancti Dei Angeli:

Angeli: aut physica, eaq; vel universalis, ut Natura illa universalis seu Anima Mundi, vel particularis, cujus quidem generis alia est cælestis, ut cælorum motus, siderum influxus, cæli stellarumq; elementum, calor insitus: alia elementaris, ut coitio seu mistio elementorum: alia elementata, ut semen: alia mixta, hoc est, partim cælestis partim elementaris, ut Spiritus, & natura rei cujusq; peculiaris, proportione respondens elemento stellarum. Has causas rerum generandarum efficientes juvat ordine omnes percurrere.

Deus.

Christiana veritas supremam omnium rerum generandarum causam agnoscit Deum unum, eundemq; & trinum, qui omnia & ex nihilo creavit & sustinet: ad quam quidem veritatem Christianam nemo unquam philosophorum solis naturæ fretus igniculis propiùs accessit quàm PLATO, qui tria constituit coæterna, Bonum, Mentem, & mundi animam quoquò penetrantem omniaq; vegetantem: ob quod divini cognomen est adeptus. Describendis testimonijs Platonicis non immoror, veritus prolixitatem. Si quis tamen compendiosè volet Platonis sententiam pernoscere: Marsilium Ficinum videat cap. 7. 8. 9. & 10. Timæo præmissis.

ARISTOTELES dissentiendi, opinor, studio à magistro deficiens mundum somniavit æternum, nec creatum à Deo: cujus si opinionem refellere instituam, stultus sim. At enimverò qui ubiq; præsentem Dei vim omnia generantem, omnia vegetantem, omniaq; in vita continentem luculentiùs expresserit quàm ipsus Aristoteles, puto Philosopho-

Lib. de mundo cap. 6.

rum dari posse neminem. *Quod*, inquit, *in navi gubernator est: quod in curru agitator: quod in choro præcentor: quod deniq; lex in civitate: & dux in exercitu: hoc Deus est in mundo.* Eodem capite ait *Deum summo in loco ita esse collocatum, numinis ut tamen ejus vis per universum mundum pertinens tum Solem Lunam q; moveat, tum cœlum omne circumagat, simulq; causam præbeat eorum quæ in terra sunt salutis atq; incolumitatis.* Et iterum, *Hoc igitur modo natura divina ab uno eodemq; simplici motu primo vim suam immittit in ea quæ sunt primo continentia, ab illisq; subinde in ea quæ longiùs atq; longiùs absunt, quoad permeaverit universa.* Hæc Aristoteles. Ipsa etiam scriptura sacra attestatur Deum non modò creasse mundum, sed indefatigabili opera eundem & sustinere & res universas vegetabili vi sua jugiter fovere: adeò ut *in ipso vivamus moevamur & simus.* Qua quidem vegetabili vi sua Deus rectè dicitur causa esse omnium quæ uspiam fiunt, ceu universalis quædam influentia rebus omnibus & singulis illabens, & naturam fovens conservansq; rei cujusq; naturalis peculiarem. Non autem quomodo impiè Theodorus ille Beza scripsit, si quando in sylvis latro trucidet latronem: occisoris voluntatem manumq; ac telum ab ipso Deo excitari, moveri, inclinari, impelli & dirigi, ut cadat ille qui sit justæ cædi destinatus. Neq; enim latro alijs in occidendo utitur viribus, quàm quas à Deo acceptas & jugi divino vegetabili influxu conservatas fotasq; obtinet: quòd autem vires illas in perniciem convertit proximi sui, id jam non à Deo est sed à Diabolo.

VERGILIVS nescio majorné poeta an philosophus,

sophus, & ipse rerum generandarum causam Deo attribuit quando cecinit:

— — *Deum namq; ire per omnes* — Georg. 4.
Terras q; tractus q; maris cælum q; profundum:
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemq; sibi tenues nascentem arcessere vitas.

Item.

Principio cælum ac terras camposq; liquentes AEneid. 6.
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; astra
Spiritus intus alit: totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumq; genus, vitæq; volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.
Igneus est illis vigor & cælestis origo
Seminibus.

Dixi de causa rerum generandarum principali nempe Deo & vi divina: jam de causis administris videamus. Ac primum quidem de cælestibus intelligentijs, quas angelos & spiritus administratorios scriptura sacra appellat. Hos & Plato attigisse videtur sub nomine minorum Deorum: quanquam prælucente Dei verbo destitutus procul infra ipsam veritatem Christianam substiterit. Angeli. Aristoteles & ipse singulis cælorum orbibus singulas attribuit intelligentias divinas, quarum vi illi circumagantur: quam Aristotelis sententiam plerique sequuntur philosophi. Vicomercatus dicit omnem Solis efficientiam ab intelligentia ipsius tum propria tum & ab illa suprema, quæ primum motum ciet, depen-

dere. Ait scriptura sacra fidelium demortuorum animas ab angelis Dei in sinum portari Abrahæ: quid si easdem ab ijsdem in ipsa etiam corpora importari sentiamus? Sed hoc ad Ecclesiam pertinet & definiendum Theologis non philosophis.

Dixi de causis rerum generandarum efficientibus hyperphysicis nempe Deo & Angelis: sequitur Natura universalis aliàs Anima mundi à philosophis appellata. Sunt qui ubiq; præsentem Dei vim, de qua paulo ante fui locutus, Naturam definiant, sed errant: quòd absurdum sit Naturam constituere hyperphysicam: ut alia taceam incommoda hanc opinionem consequentia. Quin ipsimet in quotidiano sermone Naturam subinde à Deo distinguimus diversamq; facimus; quando uno omnes ore axioma hoc nunquam non celebramus, *Deum & Naturam nil frustra agere.* Certè divina vis in Deo considerata Natura dici nequit: at vis illa quam Deus rebus ceu donum est elargitus, quâ sunt id quod sunt, & hoc, eo modo, quod, quomodo, agunt: ea mehercle Natura est. Vnde inter philosophos nostri seculi haud postremus Thomas Erastus Naturam definivit, non vim ullam in Deo consideratam, sed *efficax illud Dei jussum quo in creatione rebus jussit ut hoc essent quod sunt & hoc eo modo agerent, quod quomodo agunt:* metonymicè, opinor, per jussum hoc intelligens vim illam, quam Deus jubens simul rebus contulit. Hæc Natura sua cuiq; rei peculiaris indita, dicitur Natura particularis, sustineturq; primariò quidem à Deo, & Dei ubiq; præsente vegetabili vi semper eadem & sibi simili, variariq; nescia: sed & secundariò à vi illa

Natura particularis.

illa universali quæ omnibus ubiq; rebus naturalibus ineſt, cælis, aſtris, elementis, rebus elementatis animantibus, ſtirpibus, herbis, lapidibus, metallis &c. quam quidem vim Naturam universalem adeoque & Animam mundi vocant. De qua Natura universali cum multi multa loquantur, omnium certè præclariſsimè locutus mihi quidem videtur doctiſsimus ille IOANNES CRATO in Iſagoge ſua: ubi enumeratis multis vocabuli Naturæ ſignificationibus, quæ apud diverſos authores paſsim occurrunt, *Quid autem*, inquit, *ſit vis illa quæ una quidem ſed differentiâ ineffabili ſingulis individuis ineſt, nemo poteſt ſatis explicare*. Hæc Crato. Iocatur autem Natura universalis, quòd omnibus ubique particularibus rerum naturis ſuſtinendis, conſervandis, alendis, fovendiſque incumbat. Hæc Natura universalis poſt Deum noſtri opifex & conſervatrix inter rerum generandarum cauſas efficientes phyſicas meritò primum ſibi locum vindicat. Et rectiſsimè mihi quidem videntur facere, qui hanc Animæ mundi nomine inſigniunt: quippe quod appellatio hæc ad hominis cum mundo comparationem explicandam non modò plurimùm conducat, ſed penè neceſſaria videatur. Agè igitur ſanè quandoquidem ita res fert, Sitne vocabulum Animæ mundi, hoc quidem ſignificatu, retinendum? diſquiramus. Negat retinendũ Vicomercatus duobus maximè argumentis, 1. quod illud rejecerit Ariſtoteles. 2. quòd minimè ſit neceſſarium: quippe ſine quo cæli ac ſiderum vis ipſa per ſe ſatis intelligi poſsit. Reſpondeo argumenta hæc valere ne vel hilum quidem. Etenim quod

Natura universalis.

De vocabulo Animæ mundi.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727145347/phys_0087
DFG

quod ad prius attinet, non est major Aristotelis quàm Platonis authoritas, nec sanior quibusdam de rebus illius quàm hujus sententia. Sed neq; eam significationem hujus vocabuli defendo quam Plato tradidit, tantum hoc ago ut pro Natura universali, præsertim quatenus illa principibus mundi partibus cælo atq; astris inest usurpetur. Atqui, inquit Vicomercatus, non est necessarium hoc vocabulum; nam ipsa per se cæli ac siderum vis satis potest intelligi etiamsi hoc vocabulo careamus. Quid audio? Quasi verò ob commoditatem docendi non utamur compluribus vocabulis alioqui parum necessarijs: inter quæ meritò & hoc ipsum vocabulum refertur; quippe sine quo Cosmi & Mycrocosmi, hoc est mundi & hominis comparatio percipi satis nequeat. Cùm enim res naturales ab elementis quatuor inferioribus præter solam materiam & temperamentum nihil sortiantur, imò ne illa quidem absolutè, sed interveniente cæli vi, animam verò & formam cælitus accipiant, unde cælum quintum elementum ab Aristotele vocatur, quis obsecro uspiam tam erit contentiosus aut amans cavilli, qui Naturæ præsertim in cælis atq; astris virtutem rectè mundi animam appellari posse ibit inficias? Itaq; quicquid alij sentiant & quomodocunq; suo quisq; pro arbitratu, loqui malint: ego certè vocabulum hoc in ea quidem qua dixi significatione retinendum censeo, Vt quæ est animæ hominis ad corpus: eadem sit cæli, hoc est, Naturæ, quatenus cælo atq; astris ceu partibus principibus inest, ad res quascunq; naturales ratio.

Inter

Inter causas rerum generandarum efficientes physicas particulares prima numeratur cælorum motus & circumactus de quo ARISTOTELES. *Cùm demonstratum sit*, inquit, *motum eum esse perpetuum qui lationi accommodatur: his existentibus & generationem quoq; continenter esse necesse est. Latio namq; continuè generationem ideo faciet quia admovet & abmovet id quod gignendi vim obtinet.* Plura de motu habet cùm alibi tum lib. de mundo cap. 2. & 6. Motus cælorum. De gener. & cor. lib. 2. cap 10.

Iam quid illud sit quod gignendi vim obtinet, videamus. Pervulgata est toto terrarum orbe atq; omnium in ore versatur pulcherrima Aristotelis sententia: Quòd *homo generet hominem & Sol, prætereaq; quod est omnium primum omnia movens.* Sed & idem Aristoteles quòd cælum quintum constituerit elementum, ac stellarum etiam elementum disertè dixerit; nemo est qui ignorare possit. Vt neq; quòd Soli alijsq; Planetis per orbem signiferum motu proprio decurrentibus omnem generationis pariterq; & corruptionis causam attribuerit. *Latio*, inquit, *prima ortus atq; interitus causa non est, sed obliqui circuli latio: accedente namq; Sole generationem fieri, & recedente, corruptionem, videmus. Qui si ex eo generat, quia accedit & prope est: consequitur ut & corrumpat ex eo quia abcedit & procul existit: Contrariorum enim causæ sunt contrariæ.* Hæc Aristoteles qui in commemorandis cæli atq; astrorum viribus passim multus est. Cælũ Sol & Astra. Phys. lib. 2. cap. 2. Metaphys. lib 12. cap. 4. & 5. Lib. de mund. cap. 2. De gener. animal. lib. 2 cap. 3

HIPPOCRATIS & GALENI quædam adduxi testimonia statim in ipso hujus partis vestibulo quibus hîc repetendis supersedeo.

VERGILIVM præterire nequeo quòd cæli atq;

astrorum energiam pulcherrimis versibus non uno in loco celebrârit. Horum nuper aliquot citavi, quibus nunc & istos adjicere visum est.

Georg 2. *Ver adeò frondi nemorum, ver utile sylvis.*
Vere tument terræ, & genitalia semina poscunt.
Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium latè descendit, & omnes
Magnus alit, magno commistus corpore, fœtus.
Avia tunc resonant avibus virgulta canoris,
Et Venerem certis repetunt armenta diebus.

PLINII de admirandis cæli astrorum ac siderum viribus amplissima testimonia in medium attuli tum quando theorematum astrologicorum certitudinem ceu à fontibus deduxi atq; ob oculos posui. Vnde huc accommodari poterunt.

Ex Neotericis, cum innumeri propè sint, illi videntur deligendi qui præ reliquis clari sunt. Regiomontanus, Garcæus, Cardanus, quod ipsorum pace dixerim, plusculum indulsisse videntur superstitionibus Chaldaicis. Legendos tamen censeo, quippe viros doctissimos præstantissimosq;, sed accurato cum judicio. Levinus Lemnius unanimi omnium doctorum calculo author certè est gravissimus, sed quem multis tamen parasangis præcurrat magnus ille & meritò admirandus Ioannes Fernelius, unus omnium nostri seculi Medicorum facilè princeps, vel Momo quod ajunt judice, & vel ipsa teste invidia. Non erat forsan in re clara tantum ponendum operæ: placuit tamen ex horum utroq; paucula quædam excerpere atq; huc asscribere, ad nuperos illos

illos ignavum genus doctores confundendos, qui, si Dijs placet, tanto studio incumbunt inspiciendis plantis, ut facilè non modò negligant sed etiam contemnant planetas. *Etiam in ære*, ait *LEMNIVS*, *auro argento cæteris q̃ metallis ramosam venosam q̃ propaginem & productũ spectamus, quẽ in imis terræ visceribus consequuntur vegetabili quadam vi influxu q̃ siderum. Ne q̃ enim iners aut otiosa est natura, sed multa magna q̃ molitur at q̃ effingit; exornat q̃ non solum terræ superficiem sed occultos etiam abditos q̃ sinus at q̃ intimos recessus.* Id quod deinceps compluribus rerum exemplis illustrans, subdit; *Hinc Jaspis Porphyrites & Marmora sponte segmentata sunt, & vermiculato emblemate tessellatim variegata. Sic nux myristica seu muscata intercursantibus intervenijs striata est. quod ipsum in citrijs mensis, nostro q̃ robore tum alterius generis lignis assulatim dissectis perspicimus: quæ multiplici venarum discursu multis q̃ lituris ac mæandris undulata splendescunt. Cujusmodi plurima eruuntur ex imis terræ penetralibus tam concinnè & affabrè elaborata, quasi à cælatore sculptore q̃ inducta foret effigies. Sic Corallium in maris Ligustici profundo frondescit ac fructificat, quod retibus extractum confestim lapidescit, colorem q̃ assciscit vel nigrũ vel rubrum, aut si minùs excocta est humiditas, candidum,* Pòst, aliquot interjectis, de stirpium generatione differens: *Multas*, inquit, *stirpes eas q̃ novas at q̃ inauditas Natura parit ac profert: Multas effectus siderum: Innumeras cultorum solertia:* Et lib. 2. cap. 41. *Sol & Luna præ cæteris vires suas non in humana modò corpora, sed in terrena quæ q̃ exerunt, &c.*

De occult. natur. miracl. lib 1. cap. 16.

Deinde & lib. 4. cap. 9. *Siderum quo q̃ influxus in res sublunares infernas q̃ vim suam efficaciter exerit. Sic Mars flavam bilem concitat; Saturnus Melancholiam exaspe-*

Qui planetæ quibus

humoribus dominentur

rat; Luna pituitæ incremento est: Sol & Iuppiter sanguini dominatur: Planetarum quoq; vis metallis, lapidibus, gemmis, herbis ac stirpibus omnibus q; subterraneis incumbit, auro, argento, ari, ferro, plumbo, stanno, & quicquid è terræ latebris vel in usum & commoditatem, vel in luxum & delicias erui solet: quorum quod q; vires & incrementa à peculiari astro consequitur. Tandem & ejusd. lib. cap. 15. Sidera inquit, vim suam in res terrenas effundere: ortus & incrementa rerum, totius q; mundi universitas demonstrant. Neq; enim otiosa est, iners, ignava, natura rerum; sed vivida, alacris, erecta, efficax, magnis q; viribus ab opifice, cujus verbo omnia vigent, ac subsistunt, instructa. Nec solum ad oblectandos pascendosq; oculos (tanquam inanis pictura) exhibita nobis tam spectabilis cæli species, astrorum decursus, ordo, continuatio, series: sed ut aliquem ex his effectum at q; utilitatem consequamur. Siquidem Deus qui præter oblectamentum ac contemplationem tanti operis quam ex his concipimus, accumulatè fruimur, ad usum singularem omnia condidit: ipsaq; stirpes, maria, amnes, flumina, metalla, gemmas, lapides & quæcunq; vel è terra eruuntur, vel ejus superficiem exornant ac varietate rerum distinguunt: ipsaq; hominum corpora at q; insitos humores cælo subjecit, sic ut ex astris aliquam agitationem ac motum impulsum q; percipiant at q; effectum experiantur.

Vis metallorum à suo cujusq; peculiari astro.

De ab. rer. ca. lib. 1. cap. 8.

Iam & FERNELIVM audiamus de vi cæli siderumq; non minus doctè ex Aristotele differentem. Dicam paucis, inquit, & in Aristotelis sententia versabor, si modo facilem mihi præbebis audientiam. Res quæq; naturalis ex principijs duobus constituitur: ex materia & specie. At si illius procreationem spectabis, tertium his accedet principium, quod efficiens & ortus causa nominetur, quam, naturalem contemplationem instituens, cælum esse tradidit. Vt enim omnium

motuum

motuum primus est, qui ad locum est, ex quo reliqui omnes ceu posteriores defluunt, procreatio, alteratio (hoc enim verbum cum necessarium sit & aptum, terendo usitatum facere oportet) accretio, interitus: sic illud corpus quod jugi perennique itione, & irrequieto ambitu circumagitur, omnium quæ gignuntur corporum causam esse convenit. Ac probatum est quidem infinitis seculorum ætatibus, Solem vertigine assidua conficientem vicissitudines anniversarias, suo ad nos accessu aut recessu & rerum ortus promovere, & occasus obitusque efficere: quem in modum cœlestis illa mundanaque conversio, Aristoteli causa statuitur eorum, quæ & gignuntur & intereunt. Necesse est, inquit, totum hunc, qui terram ambit, mundum, cum superis conversionibus sic continuatum esse, ut omnis ejus virtus inde gubernetur: nam unde omnibus est motus principium, prima illa debet haberi causa. Præterea autem, hæc sempiterna est, neque loco definitum habet finem, sed in fine semper. Mox docens ab elementis materiam, à cœlo speciem genito conferri, hæc adnectit: Itaque rerum quæ in ipso eveniunt causas, quod quidem ad materiæ genus pertinet, ignem & terram & his cognata corpora existimari convenit: hoc enim modo appellamus id quod subjicitur, & quod aliquid fert: id autem quod ita causa sit ut motus sit principium, ad eorum vim referri debet, quæ semper moventur. In hanc quoque sententiam cum alijs passim in locis, tum libro de mundo, Cælum appellat elementum, à quatuor illis notis longè diversum, neque interitui obnoxium, sed planè divinum & immortale. Cæterum duplex cùm sit in cælis circumactus & conversio, mundana illa incitatissima, quæ viginti quatuor horarum spacio completur, & ea qua subjecti septem orbes versantur retrò, contrario atque summum cælum motu: prior illa unius modi semper, constantique & immutabili ordine progrediens, ortus & interitus (quæ contrariæ res sunt) causa esse

Mundi inferioris virtus à superis conversionibus gubernatur.

non posſit. Posterior verò per ſigniferum orbem obliquum, errantes ſtellas circumagens, dum illas in aquilonem adducit, rerum facit exortus: dum abducit in auſtrum interitus. Atq; ut earum acceſſus receſſusq;, continuata ſerie, nec unquam ne ad momentum quidem mutatis vicibus, ſeſe excipiunt: ſic ortus obitusq; rerum ſemper erunt conſtantiſſimi, neq; ullo unquam tempore deficient. Itaq; appetente vere, cùm nos illorum vis reviſit, multas rerum novationes animadvertimus; emergere pleraq; omnia ac exhilarari: & quia vere calor redit omnibus, fœta eſſe ac ſucci plena omnia: herbas, fruges, arbuſta, flores, gemmasq; trudere, & foliorum viriditate veſtiri: animalia amoris ſtimulis incitari, ea quidem ratione quam Poeta cecinit:

Ver adeò frondi nemorum, ver utile ſylvis, &c.

Cenſetur idcirco ver omnium temporum eſſe ſaluberrimum, gignendis, augendis, ſervandisq; rebus unum omnium maximè opportunum. Contrà anno Solis receſſu ſeneſcente, plurima occidere, omnium certè vires emarceſcente calore frangi; hinc autumnum haberi pernicioſum. Atq; hæc quidem ſol annua viciſſitudine deſignat. Errantes verò ſtellæ per orbem ſigniferum, contrà quam à ſupremo illo cælo ducuntur in contrarium curſus retorquentes, varia radiorum permixtione, multò majora: adeò ut præſtantiſſimorum philoſophorum monumentis proditum ſit, eam poſſe cæli conſtitutionem incidere (qualem etiam quondam fuiſſe tradunt) quæ tum homines, tum equos, tum perfectorum animantium genus omne, ex ipſis elementis tanquam ex conjunctiſſima aut proxima materia (ſic mihi appellare liceat quam Græci προθυποκειμένην dicerent) generet; quemadmodum & imperfectiora quædam, ut mures, ut ranas, ut locuſtas ſæpe ſua ſponte inde naſci videmus. Negari non poteſt maxima eſſe quæ cælum cùm motu tum lumine tanquam ſuæ facultatis vehi-

Vehicula virium cœleſtium.

culo,

culo, in hæc inferiora demittit. Et quisquam posthac dicere audebit, elementa universam substantiam rebus gignendis conferre? ac cœlum, sine quo ne elementorum quidem ulla sit efficientia, ociosum atq; iners, & veluti feriatum faciet? Itáne frustra conditum videtur? Itáne nullus usus illustrissimi hujus & purissimi corporum cælestium splendoris? inutilis iste undequaq; absolutissimus ornatus? ista tam admirabilis ab omni æternitate motuum ordinumq; constantia? At longius abest, quàm ut ad nos ejus vis pertinere possit. Egregium sanè & tali sapientia dignum commentum. Tu si vel pictum philosophum unquam vidisses, istuc diceres? Quî magnum censeri debet id ætheris & aeris intervallum, quod Ptolomæi demonstrationibus confirmatum est, partem non esse totius mundi millesimam? Si mundus qui uno omnia complexu coërcet, ab ornatu nomen invenit, & si is unum corpus est in quo videntur omnes aptæ & colligatæ inter se partes; necesse est profectò, unam esse totius naturæ continuatam vim, quæ toto mundo confusa, res omnes complexa teneat; omniaq; sic connectat, ut in terris cælestia consistant dignitate cælesti, & ut (quod ait Aristoteles) mundus hic inferior superis conversionibus continuatus sit, & vis illa cælestis in totum diffusa mundum, in abditissimos usq; terræ recessus penetret, subeatq; densissima quæq; & solidissima corpora.

Deinde eodem cap. in persona Bruti eandem & Platonis fuisse sententiam ostendit locis quibusdam citatis ex Timæo, quos omnes hic simile ascribere longum esset, itaq; Lectorem ad ipsummet legendum Fernelium ablegamus.

Non videtur prætereundus ALEXANDER PICOLHOMINEVS, philosophus doctissimus, qui perstringens dementiam eorum qui corporibus cælestibus nullam vim atq; efficaciam inesse in hæc inferiora conten-

contendunt, ait eos refragari rationi juxta & experientiæ. *Nam*, inquit, *quomodo consentaneum est pulcherrima illa atq; vastissima corpora, quæ tanto consensu & ordine volvuntur, frustra sic ferri? aut nullum in hæc inferiora dominium obtinere? Deinde docet experientia stellis insignes quasdam vires inesse quibus inferior hic mundus afficiatur. Et manifestum est accessu recessuq; Solis anni tempora distingui. Lunâ à Sole discedente augeri atq; cieri humores in rebus, &c.*

Præfat. in sphæram.

Sed & VICOMERCATVM audiamus inter Philosophos haud postremum. *Perspicuum est*, inquit, *& nemini dubium, rerum procreationem à cœlestibus corporibus, à Sole præsertim, pendere. Is enim cùm per obliquum circulum feratur, cujus una pars ad Septentrionem, altera ad Meridiem declinat: ad utram partem iter suũ direxerit, calore suo vitali ad gignendum idoneo rerum ortus efficit, quod in stirpibus potissimum cernitur. Nam primo Vere ad nos Sole accedente, terra herbarum arborumq; etiam omnis generis copia vestitur: Animalia etiam libidine turgent, coitumq; generandi causa maximè appetunt, &c.*

De princip. rer. nat. lib. 2. cap. 13.

Quæritur de vehiculis quibus cœlum & stellæ vim suam rebus inferioribus invehant. Illa autem constituuntur Motus (de quo paulo ante dixi) & Lumen, tum & elementorum præsertim aëris nativa efficiendi vis quibus potentiam suam rebus inferunt imprimuntq;.

Spiritus mundi.

Sed præterea etiam Mundi Spiritus, quem & ipse MARCVS TVLLIVS Platonem æmulatus expressit, quando dixit: *uno divino & continuato mundi spiritu omnia contineri.* Hic spiritus plurimùm quidem æthereus sed tamen & ex aliorum elementorum permistione consistens, meritò inter causas efficientes refertur

In Tuscul

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727145347/phys_0096
DFG

fertur non tantum ratione sui quippe vegetabili genitaliq; vi & ipse præditus, sed præsertim ratione earum rerum quæ illi ceu vehiculo insunt, perinde atq; flamma ineſt in fumo & quas ille jugiter rebus naturalibus invehit sive gignendis sive fovendis. Illæ autem res solent tres numerari. 1. Calor ille qui neq; ignis est neq; igneus, sed divinus, & cælestis, & vulgò insitus seu innatus dicitur. 2. elementum cæli & stellarum. 3. ipsa rerum naturalium forma quæ ab hoc veluti bajulo cœlitus rei cuiq; naturali importatur.

Semen ipsum nunquid è genere sit causæ efficientis & quatenus? postea disquiram. Illæ autem res quæ in ipsa mundi creatione semini à Deo fuerunt inditæ, non est dubium quin causæ efficientis rationem habent. nempe Spiritus, deinde & calor genitalis, divinus ille & cœlestis, deniq; & natura rei cujusq; peculiaris, non planè & prorsus ex elementis constituta sed proportione respondens elemento stellarum. Quæ quidem tria nempe Spiritum, calorem & naturam jugiter à mundi spiritu foveri paulò ante dixi; ut nimirum spiritus spiritui, calor calori, elementum stellarum naturæ ipsi proportione respondenti ceu alimentum fomentumq; præbeant.

In semine spiritus calor & natura.

Quam quidem sententiam tam doctè pertractavit Aristoles, *De generat. animal. lib. 2. cap. 3.* ut negligi à quoquam posse satis demirari nequeam. Probat pulcher naturæ filius animam & vegetalem & sensualem tùm & intellectualem ab initio semini inesse non actu quidem sed potentia: quòd eas, quippe à

corpore inseparabiles, extrinsecus venire fit impossibile: intrare enim posse cum corpore aliquo perabsurdum sit, & sine corpore non magis posibile, quàm ambulare sine pedibus. Mentem autem quæ sola divina est extrinsecus accedere posse docet, quòd cum hujus actione nihil communicet actio corporalis. Deinde negat quamcunq; animam vel semini vel corpori inesse nisi interventu alterius cujuspiam corporis quàm elementa divinioris, nempe Spiritus, quem ait in semine spumosoq; corpore contineri; & prout nobilitate aut ignobilitate animæ inter se differunt, ita & naturam hujus corporis nempe Spiritus differre. Sed & calorem qui eodem Spiritus vinculo semini inest, ait non ignem esse, neq; igneum, sed cœlestem, quòd ignis nullum animal generare posit; at verò Solis calorem & animalium non modò qui semine continetur, verumetiam si quid excrementi quanquam diversum à natura, tamen id etiam habere principium vitale. Præterea ait & Naturam (quam certè Deus in creatione rebus diversisimis indidit longè diversisimam) in eo spiritu contineri proportione respondentem elemento stellarum. Atq; hæc quidem tria Spiritum, Calorem & Naturam quæ in semine insunt facere ut fœcundum sit semen.

Spiritus alterum quoddam corpus.

Cum autem plurimæ sint res naturales quæ nullo seminis adminiculo proveniant: censendum meritò est quam dixi Naturam ipsi terræ glebæ, eodem administro spiritu, subesse, teste poëta philosopho, qui cecinit:

Natura soli.

Non

—Non omnis fert omnia tellus.
Hîc segetes, illic veniunt felicius uvæ, Georg. 1.
Arborei fœtus alibi, atq; injussa viresçunt
Gramina.

Et iterum:

Nec verò terræ ferre omnes omnia possunt, Georg. 2.
Fluminibus salices; crassisq; paludibus alni
Nascuntur: steriles saxosis montibus orni:
Littora myrtetis lætissima: deniq; apertos
Bacchus amat colles: Aquilonem & frigora taxi:
Divisæ arboribus patriæ: sola India nigrum
Fert hebenum: solis est thurea virga Sabæis.

Harum & similium rerum causam reddens inquit:

Quippe solo Natura subest.

Hæc inquam Natura olim in creatione semini & solo sua cuiq; à Deo est indita, à quo etiam conservatur uno eodemq; & semper sibi simili ordinario divino influxu variari nescio identidem vegetata; nisi quid fortè præter naturam miraculo efficere Deo visum fuerit. Quòd autem natura hæc varijs modis subinde alteratur (sit verbo venia) & mutationem subit; id alijs à causis evenit, nimirum à variâ siderum permistione, nonnunquã & à causis inferioribus. Nam sicut hæc rerum natura partim elementaris est: ita &, dicente Aristotele, proportione respondet elemento stellarum; undè jugiter à cœlo affici spiritu internuncio consentaneum est, sicut exempla magnetis, heliotropij, loti Ægyptiæ aliarumq;

rumq; quarundam rerum manifestissimè ob oculos ponunt. Vnde de reliquis non æquè manifestè in oculos incurrentibus judicium fieri par est, in quibus latentior illa est vis, quâ illas Spiritus intus alit: dico latentiorem, ne quis fortè omninò nullam existimet. *Quanquam*, inquit Lemnius, *siderum aspectus nemini ad actionem necessitatem imponunt: eam tamen vim in permovendis affectibus obtinent, ut homines obluctante etiam invita q; ratione tanquam tempestate quadam ad perturbationum scopulos illidantur.* Certè nulla est uspiam rerum naturalium quæ latentem hanc cœli siderumq; vim non persentiscat.

De occult. nat. mir. lib. 1. cap. 16.

Sidera affectus quidem movent, at nō cogunt.

Strata tandem via est quâ Cosmi & Mycrocosmi, hoc est, Mundi & hominis comparationem ob oculos proponendam aggrediamur: quam docta antiquitas non alia de causa inculcavit, quàm ut quisq; vel ab ipsa corporis sui similitudine de pulcherrima mundi constitutione atq; œconomia edoceretur. Mihi certè omnia accuratiùs perpendenti, & cogitanti ecquid causæ sit quamobrem non hominum modò, sed & Medicorum vulgus maximorum cæli corporum longè maximas vires, quas incredibili efficacia in hoc terræ punctum certatim vibrant, tam parvi pendat? causa non occurrit alia, quàm quòd totius mundi unum quoddam compactissimum esse corpus non comprehendat. Agè igitur mundi rationem hominis similitudine aliquantulum declaremus.

Mycrocosmus.

Atq; equidem ut corpus hominis sine anima est mortuum & inutile cadaver: ita & mundum torpere oporteret, nisi omnipotens Deus eum vitali animâ im-

mâ imbuisset. Illa autem anima est Natura universalis, de qua paulo ante diximus. Et quemadmodum nulla est humani corporis pars tam abdita vel remota in quam non hominis anima expeditissimè diffundatur: ita nulla neq; tam abstrusa neq; tam disita est mundi pars in quam non promptissimè diffluat anima mundi, natura illa inquam universalis, formarum datrix. Porrò anima hominis licet toto hominis corpore diffundatur: tamen non eadem ratione & modo singulis partibus inest. Aliter cordi inest, aliter cerebro, aliter epati, aliter deniq; alijs membris: ita etiam anima Mundi aliter Soli, aliter Lunæ, aliter alijs astris, aliter elementis, aliter deniq; elementatis inesse censenda est. Et quemadmodum anima hominis alias vires à corde, alias à cerebro, alias ab epate in reliqua membra & partes similares spargit: eodem etiam modo formarum datrix Mundi anima alias vires à Sole, alias à Luna, alias alijs ab astris cum singulis tum universis, alias deniq; ab elementis, rebus & gignendis & genitis communicat.

Porrò cùm corpus & anima res sint toto genere diversæ; utiq; consentaneum fuit ut vinculo & nexu conjungerentur utrisq; communi. Id autem vinculum est Spiritus. Vt ergo corpori animæq; humanæ suus est Spiritus, quo ceu vinculo connectuntur: ita suum etiam corpori animæq; mundi spiritum graviſsimi attribuerunt Philosophi; quo Natura Vniversalis ceu administro utitur. Cæterum Spiritui hominis jam inde ab ipsa creatione duo quædam insunt, calor qui dicente Aristotele neq; ignis

est neq; ab igne ortus sed cœlestis, quippe cœlitus infusus. 2. natura proportione respondens elemento stellarum. Hæc etiam duo Spiritui Mundi inesse censendum est, nempe calorem cæleſtem & naturam elementi stellarum, quæ ab anima mundi accepta perpetuo secum vehit & rebus impertit, caloremq; cœlestem tùm & naturam proportione elemento stellarum respondentem in illis fovet; sed mira & penè inexplicabili varietate. Spiritus hominis per seſe quidem unus; omnibus tamen humani corporis partibus non est idem: quippe in corde vitalis, in cerebro animalis, in epate naturalis: quibus quidem in partibus novas quodammodo atq; alias vires concipit, quas cum in universum corpus devehit, certè non jam simplex venit sed multivarius, nempe & cordis & cerebri & epatis comitatus viribus, quas partibus insinuat: sic etiam spiritus mundi non simplex in universas mundi partes diffunditur, sed secum vehens Solis, Lunæ aliorumq; astrorum vires, quas sibi impressas ipse porrò rebus imprimit. Illæ autem vires (sicut modo dixi) sunt calor cœlestis & elementum cœli stellarumq; qui quidem calor & stellarum elementum tanta varietate naturalibus rebus sive gignendis sive fovendis infertur: quanto ipsæ stellarum configurationes discrimine distinguuntur. Aliud temperamentum est cordis, aliud cerebri, aliud epatis: ita aliud etiam est temperamentum Solis, aliud Lunæ, aliud aliarum stellarum. Sicut verò temperamentum humani corporis partium non eodem semper perseverat in statu, sed subinde mutatur: ita & astrorum temperamentum

mentum pro diversis aspectibus & signis per quæ decurrunt, variatur. Aliud Solis temperamentum est in signo igneo, aliud in aëreo, aliud in aqueo, aliud deniq; in terreo. Aliud item Solis à Marte, aliud à Saturno affecti. Convenit inter Philosophos calorem nobis insitũ naturamq; posse in nobis affici varijs à causis, tandemq; extingui. Aliquando à partium principum temperamentis non sat justâ Symmetriâ in unum coëuntibus ac toto corpore diffusis natura calorq; insitus læduntur extinguunturq; : Cedò annon igitur multo magis ab intemperata malignaq; siderum permistione & affici & lædi, & corrumpi & extingui posse consentaneum est? Porrò ut in homine etiam est vita, utiq; nihil aliud quàm effectus animæ, quæ & ipsa novâ quadam vi partes omnes fovet: sic & mundo universo sua quædam vita est.

Spiritus ergo mundi vector, non tantum ratione sui, qualis est per se, sed & qualis est ratione partium principum, nempe Solis, Lunæ aliorumq; astrorum, tum etiam qualis est respectu variarum permistionum siderum seu syzygiarum, à quibus non tantum afficitur ipsus, sed & variè affectos calorem stellarumq; elementum vehit, comitatus dulcissimâ mundi vita, ipsaq; elementorum ignis & aëris qualicunq; efficiendi vi nativa, atq; astrorum motu pariter ac lumine impulsus; res pervadit universas, materias præparat contemperatq;, tum & calorem illis cœlestem naturamq; elementi cœli stellarumq; insculpit fovetq; insculptam. Hæc omnia ut sunt verissima, ita etiam sunt intellectu perquam facillima: modò

Concluditur Locus de Mycrocosmo.

modò quisquam nôrit seipsum. Quamobrem & ijdem veteres homini Mycrocosmi hoc identidem ingeminarunt: *Nosce teipsum.*

In causa rerum generandarum efficiente cœlesti commoratus sum aliquanto diùtius: non quidem ut cornicum, quod ajunt, oculos configerem, sed ut asinis quibusdam plusquam Cumanis auriculas aut præciderem aut certè magis detegerem, hoc est, vim cœli & astrorum in inferiora hæc commonstrarem.

Nunc quæritur, numnam & semen in rebus perfectis, & Elementa cùm in rebus perfectis tum & imperfectis vim aliquam habeant efficiendi seu effectoriam? De Elementis scio igni & aëri vires efficiendi tribui, ut & qualitatibus calido & frigido. Agant sanè, efficiantq; quantum possunt: ignem tamen generandi vires habere nunquam concedam, quippe authoritate fretus Aristotelis, qui gignendi vim igni esse negavit, ut & animal nullum in igne vivere ipsa testatur experientia: quare etiam paulo ante ex eodem Aristotele docui calorem qui Spiritui inest neq; ignem esse neq; igneum sed cœlestem.

Elementa.

Igni nulla vis genitalis. De gener. animal. lib. 2. cap. 3 De gener. & corrupt. lib. 2. cap. 3

Vnde utiq; mirum nec est nec videri debet, si Paracelcistæ nostri oleum & operam omnem perdant, quodq; vulgo dicitur, Pott/Kan/Glaß *omnia frangant*: dum calorem cœlestem & elementum stellarum, igne suo chymico, simiarum instar, æmulari conantur, rerumq; permutare naturas. Ridiculum meherculè genus Philosophorum, aurum habendo nunquam non inhians flando & conflando, sed frustrà: undè & tandem auro obrutum quidem sed alieno,

Paracelcistæ aurifici.

alieno. Super quorum turbam misereor magis, quàm ut confutandos censeam.

Ajo igitur ne vilissimum quidem vermem ipsa per sese elementa progignere posse, vi destituta cœlorum, & præsertim Solis; sicut hyeme videmus, quando ille à nobis digressus, atq; indirectior factus, circa perigæum fertur. Quicquid tamen sive animalium sive in animalibus etiam per hyemem gignitur: non aliunde ortus sui originem ducit, quàm à calore cælesti & natura proportione elemento stellarum respondente: quæ quidem in rebus prorsus extingui nunquam patitur creator & conservator Deus, sicut mox dicam.

Sed & rerum temperamentum à cœlo perfici, & Solis præsertim penetrante vi, vel ipsi norunt agricolæ: quòd gratius temperamentum uvis, pomis, alijsq; arborum fructibus videant inesse tum, quando vi Solis egregiè percoquuntur maturanturq;. Contrà, eorundem temperamentum crudius & ingratius esse, quando, radijs Solaribus varia tempestate impeditis, justam maturitatem non consequuntur. Quin etiam sic nonnunquam cœlorum & quarundam constellationum vi affici fructus videmus: ut vel justam maturitatem consecuti, tamen sibi quotannis æqua semper bonitate non respondeant. Apage sis igitur eorum cum opinione qui Elementis solis per sese, procul cœlorum vi, nescio quam energiam, vim & efficaciam tribuunt. De causis efficientibus reliquum est Semen.

Quæritur nunquid Semen rationem habeat causæ efficientis? Hæc quæstio ut decidi possit: oportebit

tebit res quasdam diversas quæ semini insunt diligenter distinguere. Seminis materiam elementorum sobolem esse non eget probatione. Ex elementis creati sumus; ex elementis nascimur: ex elementis alimur, humidumq; fovemus primigenium: deniq; in elementa rursum, quatenus ab ijs profecti sumus, resolvimur. Semini autem in prima creatione inditus fuit quidam cœlestis Spiritus, in quo ceu propria sede insidet calor cœlestis qui & nativus insitusq; dicitur. Inculcavit Aristoteles hunc calorem neq; ignem esse neq; ab igne ortum: quòd ignis nihil gignere possit. Deinde hoc eodem in Spiritu focum suum habet natura proportione respondens elemento stellarum. Hæc natura appellatur in semine potentia, estq; motionis & perpetientis & agentis. Quatenus enim jugiter à cœli & stellarum elemento afficitur, dicitur pati: Quatenus vero ipsa in seminis materiam agit eamq; præparat & adornat, motionis agentis meritò dicitur.

Semen.

De gener. animal. lib. 2. cap. 3.

Iam sicut corporum materia humidumq; quod illi inest radicale seu primigenium quædam elementorum progenies ex elementari alimento jugiter fovetur aliturq;: ita etiam calor ille cœlestis & natura proportione elemento stellarum respondens ne paulatim suffocarentur extinguerenturvé, quodam etiam suo velut alimento cœlesti indigebant: prout abunde dixi in Microcosmo, Spiritum Mundi res pervadere universas & hæc duo secum vehere, calorem nempe cœlestem, & elementum stellarum, ceu cœleste alimentum quoddam calori & naturæ rerum fovendis.

Potest

Potest hæc res declarari pulchra similitudine à lichno desumpta, qui oleo imbutus in lampade accensus flagrat. Oleo humidum primigenium, calorem verò cœlestem & naturam elemento stellarum respondentem lichno conflagranti non inepte comparaveris. Humidum primigenium ali oportet ab elementis, sicut oleum ab alio oleo subinde affuso: calorem verò & naturam ab elemento illo quinto nempe cœlo, quod flagrantem caloris & naturæ lichnum continuat. Præterea sunt qui scribant insuper in semine & facultatem esse formatricem: à quibus equidem perquam lubens scire velim, ubi ergo illam constituant quando rebus sine semine è sola putredine natis tam pulchras insculpit formas? quanto rectius Galenus noster? qui ait intelligentiam quandam seu mentem cælestem sapientiâ præditam per terras vehi & res quasq; conformare: haud aliud quicquam indigitans quam sapientissimi Dei vim & efficaciam ubiq; præsentem. Maximè autem ridiculi sunt Elementistæ, qui nescio quam mensuram qualitatum elementarium commiscuntur conformationi cuiq; decernendæ: Quasi ab elementaribus qualitatibus qualitas possit emergere nova quæ illarum redoleat nihil: Quasi item quæ unius sunt temperamenti, statim eandem induere oporteat figuram; quæq; consimilem sortita sunt figuram, mox ejusdem etiam esse temperamenti rectè arguantur. Sed hæc obiter. Deniq; eodem Spiritus vinculo anima hominis corpori humano colligatur, quæ & ipsa cælestis est, non tam philosophis quàm Theologis definienda. His jam rebus

Pulchra similitudo.

An facultas formatrix contineatur in semine?

De usu part. 27.

ita diligenter distinctis, facillimum certè fuerit respondere ad quæstionem propositam: Nunquid Semen rationem habeat causæ Efficientis? Ajo Semen per se consideratum quatenus ex elementis confluxit, nihilo magis causæ Efficientis habere rationem, quàm ipsa Elementa: Sin autem consideremus Spiritum cæleſtem qui semini inest, tum verò etiam res illas cæleſtes, quæ focum suum in illo spiritu habent, & jugiter à Spiritu Mundi cæloq; & elemento stellarum, unde dimanarunt, foventur afficiunturq;: utiq; concedam plures inesse semini causas efficientes, sed quæ semini simpliciter attribui nec possint nec debeant. Illud solùm semini concesserim quod Aristoteles illi attribuit *De gener. animal. lib. 2. cap. 3.* nempe excrementum cùm sit, eodemq; moveatur motu quo augetur corpus digestione ultimi alimenti; ubi uterum subijt, constituere & movere excrementum fæminæ eodem motu quo ipsum movetur. Et de causis quidem rerum Efficientibus hactenus: nunc de Materia videamus.

Materia. Dicturus de rerum materia & temperamento, prudens ac de industria ceu scopulos declino spinosissimas philosophorum de materia prima disputationes. Satis fuerit Philosopho Christiano scire, Deum omnipotentem ex nihilo creasse omnia; Neq; pluris hîc faciendum Axioma Aristotelicum, Ex nihilo nihil fieri, quàm id quo Mundum esse æternum enunciavit. Hominem ex limo terræ à Deo creatum esse testatur scriptura sacra, Ex eadem terra, aliorum elementorum permistione contemperata, & animantia & stirpes & alia quævis imperfectiora gigni

gigni in confesso est ac manifestissimum. Itaq; explosa jam pridem Democriti dogmate de atomis, magnum secuti Hippocratem terram alijs elementis permixtam rerum omnium gignendarum materiam facimus. Ex hac creati sumus, ex hac alimur augemurq;, in hanc rursus resolvimur; unde fœcunda omnium rerum quæ gignuntur mater meritissimè dicitur. Temperamentum verò quod materiæ inest, juxta unanimem omnium philosophorum sententiam dicimus qualitatum elementarium in unum coëuntium, sobolem esse; neq; permistionis modum quo tum ipsa elementorum materia, tum verò eorundem qualitates coëant commisceanturq;, prolixiùs enarramus, hoc unum admonuisse contenti: Licet Philosophi[a] Igni & aëri actionem tribuant, terræ verò & aquæ passionem, itemq; qualitates humidum & siccum patibiles appellent, calidum verò & frigidum agendi vi præditas: non sufficere tamen elementa ipsa sibi satis miscendis, sine cæli atq; astrorum ope. Stat enim hoc quod nuper dixi, neq; ignem neq; calorem igneum esse genitalem; quare rectissimè quintum ab Aristotele constitutum sit elementum, nempe cæli & stellarum, quo certè quàm maximè opus est & in materia rerum constituenda & in materiæ temperamento. Equidem materia quin sint elementa non est negandum; at hujus vel istius rei naturalis materia fieri nequeunt sine cælo. Atq; hæc quidem de materia dicta sufficiant: reliquum est ut de forma dicamus.

Rerũ materia & tẽperamentum à solis elementis, cõstitui nequeunt.

[a] Arist. de gener. & corrup. lib 2. cap. 2 & 5. Meteorolog. Lib. 4. cap 1 5 & 10. Nota.

Forma. De rerum forma juvat has quæstiones obiter percurrere. 1. Quid sit forma rerum? 2. unde oriatur? 3. quomodo & quando rebus immittatur? Omnium penè in ore versatur formam esse causam quæ dat esse rei: at vero sit ne ad genus substantiæ referenda nec ne? à plerisq; supprimitur. Pertinere ad genus substantiæ asseruit Aristoteles, nec est difficile probatu. Enimvero si materia rerum refertur ad genus substantiæ: multo magis forma ad substantiæ genus referenda fuerit, quippe præstantior quàm materia. Deinde partes substantiæ non possunt non & ipsæ esse substantiæ. Neq; quod ipsum non est substantia, alteri ut substantia sit, dare potest. Vna est omnium rerum naturalium materia elementaris: ergo essentiales rerum differentiæ à materia desumi nequeunt sed à forma; quæ proinde & ipsa essentia sit necesse est. In omnibus substantijs id quo disidet unum ab alio substantia est: Ergo cujusvis rei naturalis forma est substantia. 2. Quæritur autem undè forma rerum oriatur? Non gigni ab elementis probatur facilè. Quicquid enim ex Elementis primùm ac proximè constituitur; id aliunde nihil accepit, sed ab illis suam omnem vim hausit: Compertum est autem elementis vires inesse quibus sursum ac deorsum cieantur: Ergo quicquid ex elementis constabit nihil supra simplicium vires sortietur, sed duntaxat sursum ac deorsum feretur, pro modo & natura vincentis elementi. Quocirca nihil quod ex solis elementis genitum est, poterit simul ad contraria moveri. Infero igitur, cùm stirpes sursum ac deorsum simul ferantur:

Rerum naturalium formæ sunt substantiæ.

Rerũ formæ non gignuntur ex elementis.

rantur: cùm animantia in contraria progrediantur; cùm sint varij animorum impetus & opinionum pugnæ: hos contrarios motus non esse ab elementis, sed formæ aliundè profectæ. Sed & perabsurdum fuerit dicere formam, quæ substantia est, ab elementorum constitui qualitatibus. Aliqui putarunt formam rei conflari ex formis partium similarium in unam formam coëuntibus: sed arguuntur erroris. Si enim homo juguletur, perit quidem forma totius, at forma partium aliquo post tempore manet, ut videmus in mumia: idem videmus in stirpibus & herbis recto tempore decerptis, manere in ijs formam partium, quamquam forma totius perierit. Sequitur igitur has formas esse diversas, neq; totius formam ex partium formis constitui. Atqui nascitur è semine. Negat Aristoteles, qui manifestè asseruit formam seu speciē non gigni: quamquam diffitendum non est singularem quandam semini ineſſe naturam proportione elemento stellarum respondentem, quam supra dixi motionis esse & perpetientis & agentis: quæ quidem natura facit, ut semen non aliam recipiat speciem quàm suam; qualis etiam sua cuiq; solo natura est, dicente Poeta, *Non omnis fert omnia tellus, &c.* Quippe solo natura subest. Hanc in semine naturam ab anima diversam vocant potentiam & principium quoddam insitum, motionis tàm perpetientis quàm agentis, per quod quidem principium, semen proclivitatem quandam habet & ampliorem quærit excipiendæ formæ. Quid ergo, dicet quispiam, sibi vult axioma, quod in omnium ore est & præsertim à Vicomercato inculca-

Forma nō gignitur è semine. Metaphys. lib 7. cap. 8. & lib. 12. cap. 3.

Forma quomodo producatur de potentia seminis?

culcatur; *Sic formam produci de potentia seminis, quomodo actus producitur de habitu?* Respondeo habitum non esse veram actus causam, sed duntaxat causam sine qua non. Vera autem actus causa est animi impetus; id quod similitudine declarari potest. In citharædo est habitus tangendi citharam. Dormiente citharædo ac ne somniante quidem de cithara; utiq; habitus solus actum non profert. Vbi verò citharædus surrexerit ac citharædi animus insurrexerit ad citharâ modulandum: tum certè isti animo habitus ille est subserviens causa sine qua non posset modulationem perficere. Idem dico de formâ. Illam quidem rebus perfectis non immitti sine præeunte illa seminis potentiâ, ut nec imperfectis sine præeunte apta potentia soli: at non hinc efficitur formam à potentia seminis vel soli esse tanquam à vera causa, Sed inquam multo altiorem agnoscit originem, nempe cælestem. 3. Iam quomodo forma rebus cælitus immittatur, est quæstio. Sunt qui, cum audiunt formas Platoni esse substantiales, ideas quæ cælitus rebus immittuntur, mox somnient nescio quæ vaga Individua in aëre huc illuc volitantia, donec tandem in hæc vel illa corpora commeent. Certè tam delirus nunquam fuit Plato divinus ille Philosophus, ut rem doceret tam ridiculam. Qui ergo volet sententiam percipere Platonis: hanc præ oculis capiat similitudinem. Quemadmodum videmus Solem diaphano Lunæ corpori sic lumen suum immittere imprimereq;, ut ipsa mox luce quadam sua eaq; essentiali luceat: consimili ferè modo Animam mundi Naturam illam universalem

Forma quomodò rebus immittatur?

salem rebus immittere imprimereq; suas quibusq; formas seu ideas. Quod autem non eandem & æquè præstantem res unaquæq; accipit formam, id fit, quia non eadem omnibus contigerit materiæ præparatio & aptitudo ab æquè præstanti natura peculiari; quæ non aliam molitur materiæ præparationem, quam rei cui inest speciei propagandæ idoneam. Quod ipsum etiam similitudine declaratur. Aliter enim aqua, aliter lignum, aliter æs, aliter argentum, aliter deniq; res alia recipit redditq; solares radios, unaquæq; sua pro aptitudine: ita etiam alia materia aliam recipere formam apta est Aliam hominis, aliam leonis, aliam bovis, aliam asini, aliam stirpis, aliam metalli, aliam lapidis materia recipit formam. Nunquam forma leonina in materiam commigrabit asininam: nunquam forma psittaci materiam subibit graculi. Quin ejusdem generis res & eodem prognatæ semine, sæpenumero plurimum inter se differunt: utiq; non alia de causa quàm quòd neq; eadem illis à cælo contigerit materiæ præparatio, neq; æquè præstans forma. Nota.

Restat ut quando sua quibusq; rebus forma immittatur declaremus. Quanquam non ignorem magnos esse viros qui existiment formam illabi uno momento tùm demùm quando omnis materiæ præparatio absoluta fuerit: audebo tamen sententiam meam diversam ponere. Statuo igitur materiæ præparationem & formæ immissionem ordine quidem distingui posse, ut illa prior hæc verò posterior censeatur: at non tempore: quòd Natura & materiæ præparationem & formæ immissionem eodem Forma quando rebus immittatur?

temporis puncto moliri videatur. Id quod ipsum quoq; arbitror comparatione à Luna desumptà declarari posse, quæ ab ipso mòx primo à Sole digressionis puncto lucem quandam habet; quæ deinde pro subjecti corporis sui motu paulatim augetur, donec Soli opposita Luna pleno orbe fulgeat. Neq; verò eorum hic extimesco argutias qui inferent: Ergo substantias intendi posse & remitti itemq; magis & minus recipere. Nec enim Lunæ pleno orbe lucentis lux magis lux est quam ejusdem triduo aut quatriduo à Sole digressæ: ut nec maturæ ætatis vir magis homo est quàm infans. Quicquid subjecti ratione contingit: nemo est tam imperitus qui formæ velit ferre acceptum. Cæterum quomodo forma rebus quibusq; sua cœlitus immissa jugiter à cœlo afficiatur: ex ijs erit intelligere quæ de formæ viribus mox edisseram.

Finis. Finis omnium rerum naturalium sive generandarum sive genitarum potissimùm triplex est: Primus ut creatoris sui laudes vehant, alter ut naturæ mysteria pandant, mutuamq; cœli & corporum inferiorum sympathiam arguant. tertius ut humanis usibus inserviant: inter quos quidem usus haud postremus est ille, quem in arte præstant Medica.

Concluditur locus de rerum generatione. Concluſurus nunc locum de Generatione rerum, Lectorẽ admoneo ut diligenter distinguat observetq; quid in rebus gignendis vel cœlo vel elementis separatim debeatur, tum etiam quid utrisq; commune sit: Hoc enim mirum quantum huic nostro instituto serviat ad Astronomiæ momentum in

arte

arte Medica postea demonstrandum. Elementis seorsum solis forsan attribui poterit sola rerum materiæ rudis indigestaq; moles: ut ut enim ignis & aër, itemq; calidum & frigidum agere censeantur: est tamen eorum omnis actio sine cœlo prorsus evanida. Merè autem cœlestia sunt hæc, Elementum cœli stellarumq;, ejusq; vis in elementa inferiora & corpora elementata per Spiritum mundi devecta. Item calor non ignis neq; ab igne ortus sed cœlestis, qui idem & innatus & insitus dicitur. Deinde facultas formatrix (neq; enim jam fusiùs hic de facultatibus agendum fuit) Deniq; ipsæ rerum formæ. Illa autem quæ communis sunt generis, hoc est, cœlo & elementis participantia, sunt Spiritus mundi ceu Ianus quidam bifrons, itemq; Spiritus animæ & corporis vinculum & postremò natura illa peculiaris sive semini insit sive materiæ seminis experti: quæ quidem natura, dicente Aristotele, proportione respondet elemento stellarum. Obsecro jam si in rebus generandis cœlestia afficiunt elementaria, siq; elementaria afficiuntur à cœlestibus, hæcq; eorum actio & passio concurrit in ijs quæ utrisq; communia sunt: quomodo poterit vel Philosophus vel Medicus in rerum naturalium contemplatione versari sine cælestium causarum cognitione, quæ utiq; non aliunde quàm ab Astronomia petenda est? Sed hæc postea.

DE RERVM GENITARVM VIRIBVS.

DIxi de rerum generatione: consectaneum nunc est ut de rerum genitarum viribus dicam. Vires rebus insunt aliæ à materia, aliæ à temperamento, aliæ deniq; à forma. A temperamento quidem nulla potest vis aut functio prodire, quæ non ad vincentis qualitatis naturam & vim referatur, sive una in eo qualitas excellat sive duæ: estq; impossibile ut ex principum qualitatum temperatione aut vis aut qualitas emergat nova quæ diversam naturam adepta illarum nihil redoleat. Erunt igitur temperamenti vires, illæ quas Medici & Philosophi vocant qualitates primas, ut calidum, frigidum, siccum, humidum: aut duabus combinatis ut calidum & siccum, calidum & humidum, frigidum & siccum, frigidum & humidum. Iam verò quæ rebus inesse vires possint à Materia docet Aristoteles, quando ait è quatuor primis qualitatibus duas, calorem nempe & frigus, agere, atq; ob id efficientes appellari: duas verò, humorem nempe & siccitatem, pati, ac propterea patibiles dici. Itemq; duo itidem elementa, ignem & aëra, efficere ut causas: aquam verò & terram pati ut materiam. Posito igitur quòd terra & aqua (quibus qualitates patibiles nempe humidum & siccum maximè insunt) rebus materiam submini-

Vires Temperamēti.

strent: certè consentaneum fuerit ut qualitates quas vocant secundas appellemus vires materiæ: hæ enim à patibilibus oriuntur. Ejusmodi sunt durum & mol-

Vires Materiæ.

& molle, crassum & tenue, viscosum & friabile, læve & asperum, rarum & densum, grave & leve, &c.

Reliquum nunc est ut dicamus de viribus, quæ rebus insunt à forma, quam cœlestem diximus. Et quidem subit hic eorum ridere stupiditatẽ stultitiamq́; qui cùm actionem quidem tribuant materiæ & temperamento, formæ eam denegant: quamquam ipsa & temperamento & materiâ longè præstantior sit. Annon obsecro execranda est cæcitas, dicere accidentia, nempe elementorum qualitates, vim effectricem habere ingenitam: substantiam verò longè præstantissimam nempe formam ipsam otiari adeoq́; efficiendi vi & facultate prorsus esse destitutam? Quin potiùs si ad rectæ rationis amussim revocarent omnia: viderent materiam & qualitates rerum primò ac per se agere prorsus nihil, sed instrumenta duntaxat esse agentis formæ: ut omnes in universum actiones propriè ad formam sint referendæ, sed quarum aliquas per materiam & temperamentum ceu per instrumenta, aliquas verò sola & per se nullius instrumenti interpositu aut subsidio exequatur. Eugè, dicet quispiam, quandoquidẽ actiones quas per temperamentum & materiam obit, ex superioribus quæ de temperamento & materia in medium attulisti satis manifestæ sunt: euge inquam nunc tandem, quænam sunt illæ actiones quas forma sola & per se, sine instrumenti adminiculo, profert, ediffere. Perplacet sanè atq́; equidem tenendum hoc imprimis est, Formæ virium nomine comprehendi omnes occultas rerum affectiones, effectiones, actiones, functiones quæ nulla ratione,

Esse quasdã formæ vires.

Quænam vires formæ?

primorum elementorum naturis possunt attribui. Vocantur vires formæ, ut distinguantur à viribus temperamenti quæ in primis: itemq; à viribus materiæ, quæ in secundis qualitatibus consistunt. Vocantur occultæ, quòd ratione indagari nequeant, perinde atq; vires tum temperamenti tum materiæ, sed sola experientiâ observari. Vocantur deniq; vires totius substantiæ, quòd unà cum formâ cui proximè insunt, & vectore spiritu per totam rei substantiam diffundantur, atq; imprimantur tam firmiter tenaciterq;, ut postmodum totius rei formâ pereunte, ipsæ tamen pleræq; aliquandiu rei inhæreant, tantisper dum paulatim enerventur, evanescant, dispereantq;. Vt radix peoniæ maris appensa collo infantis epileptici, totâ substantiâ morbo adversatur, eumq; discutit: quem alia simplicia licet & calidiora & magis tenuium partium tamen discutere nequeunt. Quòd autem rosa & refrigeret, & calefaciat, laxetq; pariter & astringat, non totâ substantiâ, sed alijs atq; alijs sui partibus, & quidem manifestis qualitatibus, facit.

Quo è fonte scaturiant formæ vires.

Cæterum antequam totius substantiæ seu formæ virium exempla proferam: juvat harum fontem unde scaturiunt præmonstare, in memoriam obiter revocatis illis, quæ nuper ex Hippocrate, Galeno, Plinio alijsq; ad potentiam admirandamq; cœli atq; astrorum vim demonstrandam adducta sunt, quorum omnium summa huc redit; Virtutes quasdam planè admirabiles prodigiosasq; inesse & partibus signorum Zodiaci, & planetis inter quos Sol & Luna facilè primas tenent, tum & stellis quibusdam

busdam fixis: quarum quidem virtutum ſtupendi effectus quum in ipſis elementis tum in rebus elementatis, animalibus, ſtirpibus, lapidibus, cunctisq; terræ foſsilibus manifeſtiſsimè conſpiciantur. Heliotropium abeuntem Solem intuetur ſemper omnibuſq; horis cum eo vertitur, etiam nubilo die: idem in lupini, ſcorpiuri, cichoreiq; floribus animadvertere licet. Perhibent Loti Ægyptiæ non flores modò ſed & ſcapum veſperi ſub aquis mergi uſq; ad medias noctes, totumq; abire in altum, adeò ut demiſſa quidem manu inveniri nequeat: verti deinde, paulatimq; ſubrigi, & ad exortum Solis emergere, rurſum ac flores patefacere, & capitula procul extra aquam exerere. Quin & florem noctis colit Italia, qui radiorum Solis impatiens interdiu contractus clauditur, ac Sole rurſus occumbente lætus paulatim expanditur, gelidæ noctis gaudens umbraculo & nocturnorum aſpectu ſyderum. Præclara & celebria ſunt omnia illa, quæ ex Plinio & Lemnio decerpta nuper adduxi; quorum tamen leviter refricare memoriam locus hic poſtulare quodammodo videtur. Æſtivo ſolſtitio oleæ, tiliæ, populi, ulni, & ſalicis folia circumaguntur, ipſoq; die aliâ quàm pridie facie cœlum ſpectant. Brumali autem ſolſtitio aridum pulegium propendens è tectis floreſcit. Lunæ porrò vires mare perſpicuè imitatur; cujus æſtus aſcendente illa invaleſcit, deſcendente, miteſcit. De maris æſtu nemo unquam fuit mortalium, qui vel doctiùs vel diſertiùs ſcripſerit quàm Lemnius de occul. nat. miracul. lib. 2. cap. 41. Locus certè digniſsimus qui iterum atq; iterum lectitetur

Sol.

Luna.

tetur ab omnibus ijs quicunq; non segni occultorum naturæ miraculorum cognoscendorum studio ducuntur. Elephantes teste Plinio Lunam adorant. Hydropicorum aquæ ad motum Lunæ modo exturgescunt modò deturgescunt. Crises morborum acutorum à Luna concitantur trigonum mutante, in locis Zodiaci tetragonis diametrisq; à primo morbi momento supputatis. Luna accedens corpora implet, abscedens inanit: ideò cum incremento ejus augentur conchylia & maximè spiritum sentiunt, quibus sanguis non est. Sed & sanguis itemq; & cerebrum & medulla cum lumine Lunæ vicissim in animalibus & augentur & minuuntur. Luna per singulas humani corporis partes peculiari vi effectuq; volvitur, non sine acerrimo nonnunquam cruciatus sensu. Si quid enim latentis occultiq; vitii ulli membro subest: doloribus acerbè concutitur ac dilaceratur, vellicante illas partes Lunæ vi, aut agitatis humoribus qui illi infixi sunt, ac tenaciter inhæresunt. Ita omnes morbi, affectus, intemperies Lunæ vi exasperantur, atq; increscunt ubi articulis insidet: adeò ut vulnera ægrè sanescant, aut cicatrice obducantur, ac nonnunquam lethalia efficiantur, si quando illi membro illata sunt, cui incumbit. Pari ratione caput, fauces, pulmo, pectus, hepar, lien, renes, vesica, intestina, tum nervosæ partes incommodum percipiunt, aut in ijs intemperies ingravescit, subsistente in ijs visceribus sidere. Sic pectus astrictum est & anhelosum, nervi, membranæ, musculi contrahuntur ac rigescunt, ubi hàc Luna decurrit. Humores enim quibus

omnia

omnia membra imbuta sunt & aluntur, quum salubres tum insalubres & vitiosi, Lunæ motibus effectibusq; expositi sunt & subditi. Frondes quoq; & pabula vim Lunæ sentiunt: quippe ubiq; penetrantem Luna suo visu ferarum occisa corpora in tabem resolvit: Et dormienti torporem in caput revocat. Iumentorum quorundam in oculis morbi subinde increscunt, minuunturq; cum Luna. Materia è sylvis cæsa cùm Luna crescens jam multo est lumine, quòd humidi fiat accesio, brevi tempore marcet & carie conficitur: cæsa verò cùm Luna decrescens exiguo est lumine, diutius perennat. Formica interlunio semper quiescit: plenilunio etiam noctibus operatur. Soricum fibræ numero dierum Lunæ respondere traduntur. Selenites lapis imaginem Lunæ continens, eam reddit in dies singulos crescentis minuentisq; numero.

Quin & partibus signorum sua vis ineſt: neq; enim ad Solem duntaxat referri debent quæ paulò antè de utroq; solstitio dixi, sed ipsis etiam solstitiorum punctis erunt attribuenda; quæ propterea Hippocrates decretiora appellavit, quibus perinde ut & æquinoctiorum temporibus non sit tuta medicatio. Autumnali æquinoctio, inquit Plinius, brumâq; cum tempestatibus confici sidus intelligimus. Nec imbribus tantùm tempestatibusq; sed multis & corporum & ruris experimentis. Afflantur alij sidere, alij commoventur statis temporibus alvo, nervis, capite, mente. Olea & populus alba & salices (alibi & ulmum addit) folia solstitio circumagunt. Floret ipso brumali die suspensa in tectis arentis Partes signorum.

herba pulegij. Rumpuntur intentæ ſpiritu membranæ.

Dixi de Solis Lunæq; viribus: ſed & reliquorum quoq; ſiderum propria eſt cujuſq; vis, & ad ſuam cuiq; naturam fertilis. Alia ſunt in liquorem ſoluti humoris fœcunda. Alia concreti in pruinas, aut coacti in nives, aut glaciati in grandines. Alia flatus. Alia teporis. Alia vaporis. Alia roris. Alia rigoris. Saturni maximè tranſitus imbribus faciunt. Siderum quoq; influxus in res ſublunares infernaſq; vim ſuam efficaciter exerit. Sic Mars flavam bilem concitat. Saturnus melancholiam exaſperat. Luna pituitæ incremento eſt. Sol & Iuppiter ſanguini dominatur. Planetarum quoq; vis metallis, lapidibus, gemmis, herbis, ac ſtirpibus, omnibusq; ſubterraneis incumbit, auro, argento, æri, ferro, plumbo, ſtanno, & quicquid è terræ latebris vel in uſum & commoditatem vel in luxum & delicias erui ſolet: quorum quodq; vires & incrementa à peculiari aſtro conſequitur.

Planetæ.

Nec meantium modò ſiderum ſeu Planetarum hæc vis eſt, ſed multorum etiam adhærentium cœlo, quæ fixa vulgò dicuntur: quoties errantium acceſſu impulſa, aut conjectu radiorum extimulata ſunt: qualiter in Suculis ſentimus accidere, quas Græci ob id pluvio nomine hyadas appellant. Quin & ſua ſponte quædam, ſtatiſq; temporibus, ut Hœdorum exortus. Arcturi vero ſidus non fermè ſine procelloſa grandine emergit. Caniculæ exortu accendi Solis vapores quis ignorat? cujus ſideris effectus ampliſsimi in terra ſentiuntur. Fervent

Stellæ fixæ.

vent maria exoriente eo: fluctuant in cellis vina: moventur stagna. Origes fera Ægyptia in exortu hujus sideris contra stare & contueri traditur ac velut adorare, cùm sternuerit. Canes quidem eo toto tempore in rabiem agi non est dubium.

Etiam in ære, inquit Lemnius, auro, argento, cæterisq; metallis ramosam venosamq; propaginem & productum spectamus, quem in imis terræ visceribus consequuntur vegetabili quadam vi influxuq; siderum. Hinc Iaspis, Porphyrites & Marmora sponte segmentata sunt, & vermiculato emblemate tesselatim variegata. Et quæ plura nuper ex eodem authore recensui. Magnes si liber sinitur altero extremo in arcticum cœli verticem, altero in antarcticum ferrum contorquet. Scio esse qui nescio quam rupem magnetum imaginentur sitam sub meridiano insularum quas Assores alij Acores vocant, versus quam quidem rupem omnes gnomones nautici contorqueantur: sed discere ab illis perquam sanè velim quomodo una eademq; magnetum rupes & versus septentrionem & versus meridiem simul torquere & dirigere possit ferrum? Deinde quis gnomonis nautici sive compassi (quod vocant) usus esse possit ea in latitudine quæ inter rupem illam & polum intercepta est arcticum? An qua magnetũ rupes sub meridiano, Assorũ insularũ?

His admirandis cœli & astrorum operibus diligenter consideratis, rectè olim ab Ægyptijs celebratum fuit proverbiale dictum hoc τὸ ἐν τῇ γενέσει καὶ φθορᾷ, εἴδη πάσχει ὑπὸ τῶν οὐρανίων εἰδῶν hoc est, Tam in generatione quàm interitu rei cujusq; forma afficitur à formis cœlestibus. Cujus quidem Aphorismi veritatem

tem ille demum pernoscet, quisquis in quavis re naturali hæc quatuor inesse cœlestia non ignorabit. 1. Spiritum bona ex parte cœlestem. 2. in spiritu tanquam vectore calorem, qui neq; ignis est neq; igneus sed cœlestis. 3. & naturam proportione elemento stellarum respondentem. 4 Deniq; formam & ipsam eodem vectore mundi spiritu cœlitus immissam. Nec immerito Plinius turpem hominum inscitiam exagitat, quòd in cœli siderumq; effectibus considerandis admirandisq; segniores reperiantur, qui tam manifesti sint ut vel à brutis animantibus & observari possint & observentur, sicut compluribus exemplis testatum facit. Si hæc inscitia cuilibet homini turpis est; quanto turpior erit illi, qui vano medici inflatus titulo neq; quo è fonte occultæ rerum vires scaturiant novit, neq; unde occultorum morborum origo dimanet. Vnde utiq; hunc fructum capit, ut dum in morbis occultis curandis frustra humoribus præparandis evacuandisq; incumbit, non modò funem, quod ajunt, ex arena nectat, sed etiam partes omni putredine vacuas solaq; malignitate afflictas vellicando, non morbum è corpore proturbet, sed animam.

Videor satis unde rerum occultæ vires originem suam ducant ceu digito commonstrasse: jam harum virium exempla enarraturus, non abs re fore arbitror, si earundem quasdam præmittam differentias. Sic ergo statuamus, occultarum, quæ rebus insunt, virium aliæ rebus quas afficiunt amicissimæ sunt, nimirum cum quibus magnam gerunt formæ affinitatem. Hujus generis sunt alimenta.

Vires amicissimæ.

Ridicu-

Ridiculi certè sunt qui existimant solo calore elementari in animantibus alimenti concoctionem perfici. Cedò enim cùm videamus Struthiocameli ventriculum ferrum, & columbæ itidemq; & gallinæ ventriculum lapillos coquendo atterere; quî fit tandem quòd idem etiam non possit ventriculus Leonis; quanquam calore & vehementiori & acriori præpolleat? Aspides interimere alios homines compertissimum est: eorum tamen carnibus, teste Galeno, vescuntur populi Marsi: An propter validiorem ventriculi calorem? Non possum, inquit Mercurialis, assentiri Plutarcho qui putavit animalia omnia quæ vescuntur serpentibus & scorpionibus & alijs venenatis, id facere, quia robustissimo sunt ventriculo ac optima valetudine: cùm secus sæpe contingat ut & inter animalia & inter homines hi potissimùm res venenatas impunè edant, qui & imbecilla valetudine & infirmo sunt stomacho. Elleborus & cicuta adeò ab homine non possunt concoqui, ut potiùs pestifera illi sint: obsecro quî fit tamen quòd illo coturnix hac verò sturnus vescatur? Quia, inquam, cuiq; animantium generi suum peculiare est alimentum, quod substantiæ affinitate illi familiare sit & jucundum: non poterit utiq; illius concoctio simpliciter ab elementorum fieri qualitatibus, sed ab ea substantia cum qua cœlestem divinamq; familiaritatem habet & affinitatem similitudinemq;. Desinant ergo illi simpliciter ad caloris exuberantiam referre concoctionem, quæ certè occultiori divinioriq; è fonte manat. Iam verò (ut & hoc obiter addam) quod

2. ad Glauc. De ven. lib. 2. cap. 2

quod ventriculus cibum sibi familiarem comprehendat, comprehensum contineat concoquatq; ac decoctum depellat: obsecro hujus quam tandem poterunt reddere rationem ab elementis? Ajunt caloris vi fieri attractionem, ut & depulsio fit vi frigoris. Esto sanè, sed nullo tamen cum delectu. Ergò quòd ventriculus, Epar, aliæq; partes alimentum appetant prolectentq; non quodlibet, sed sibi familiare solùm: id verò est non ab elementis sed à causa cœlesti. Nam cedò quid magis absurdum, quàm unum elementi calorem quid attrahendum quid repudiandum: frigus itidem unum quid retinendum quidvé depellendum sit, magno cum delectu internoscere? Huc pertinent naturales illæ rerum cujuscunq; generis amicitiæ.

Amicitiæ rerum.

De Magnete quidem quod ferrum rapidissimè ad se alliciat dixi, Succinum, gagates, adamas, attrahendis paleis ac festucis delectantur. In animantibus Delphinus piscis incredibili erga homines, atq; præcipuè impuberes est affectu, illisq; colludere gestit, ac miris blandimentis gratificari. Lacerta viridanti ac porraceo tergo, conspecto homine, mirè gesticulosa est, caudæq; agilitate, ac crebro motu, ut canis animal domesticum, pueriliter blanditur atq; à latitante serpente tuetur. Elephantus hominis consuetudine unicè frui exoptat, illiq; in omnibus obsequitur, atq; ad quidvis paratus est. Sed & herbis stirpibusq; hæc naturalis insitaq; cernitur cognatio. Siquidem cucumeres aquam appetunt, adeò ut si paulò remotiùs ab hac absistant, eò repant atq; enitantur. Vitis in oleæ confinio con-

constitui gaudet, atq; ejus insitionem admittit illiq; maritari exoptat. Sic resinata quædam & quæ pingui substantia constant, inter se consentiunt: hinc pix oleo & butyro eluitur. Maris & fœminæ nomen inditum est stirpibus ad exprimendum mutuas earum affectiones quarum quidem fœmina maris vicinitate blandoq; amplexu fœcunditatem adsciscit; quomodo de palma Plinius attestatur quòd fœmina afflatu halituq; promanante à masculo concipiat, quo forte exciso & ipsa sterilescat. De qua quidem herbarum affectione mutua pulcherrimè Lemnius, *Herbæ*, inquit, *vegetante vi præditæ non minus quàm animantes, quæ lubrico udoq; semine se propagant, generandi vim ac vitalem spiritum aliæ in alias transfundunt, mutuoq; complexu ac concubitu fruuntur: atq; idipsum tacito quodam naturæ consensu ac latenti occultaq; inspiratione quam ab aëris Solisq; calore consequuntur, ac genitali* (nota benè) *mundi spiritu quo stirpes virescunt, foventur, germinant, animantur, florent ac semina fructusq; concipiunt & proferunt: quæ vis toti mundo omnibusq; ejus partibus infusa est, quâ cuncta continuatâ perenniq; serie subsistunt.* Hæc Lemnius. Et de primo quidem occultarum virium genere ista suffecerint, quòd exempla omnia, quæ prorsus innumera sunt, congerere sit impossibile.

Alterum genus est illarum, quæ rebus quas afficiunt sunt inimicissimæ. Hujus generis sunt vires omnium deleteriorum: in quibus ferè duo quædam, perinde atq; in alimentis, consideranda. Quædam enim alimenta universim totum corpus nutriunt: sic & quædam deleteria sine ullo partium discrimine universum corpus invadunt, ut torpedi- Vires inimicissimæ.

nis

nis piscis attactus, scorpionis ictus, rabidi canis morsus, aliaq; complura similia. Quædam verò alimenta licet quidem continuato progressu in omne corpus alendum distribuantur: uni tamen alicui parti primariò, ob similitudinem quandam substantiæ, adblandiuntur; Sic cerebrum nostrum animantium cerebro gaudet, pulmo pulmone, jecur jecore, stomachus stomacho, cor corde, &c. Idem & in deleterijs observetur, nempe & hæc alia alias corporis partes primariò offendere: Quod cùm Galenus cognitum haberet, fassus est à marino lepore pulmonem unum ex omnibus corporis particulis, à cantharidibus vesicam solam exulcerari. Certè symptomata deleteriorum demonstrant alia mox rationis arcem petere, alia cordis robur demoliri, alia ventriculo aut alij cuidam parti primariò infensa esse. Obiter hîc annotandum puto, & Lectorem admonendum, ne hoc solum observet in deleterijs, quòd vi inimica res afficiant: sed insuper quòd illa affectio tam mirandis modis sit varia. Nolo quidem huic rei immorari, sed juvat tamen uno atq; altero exemplo hanc varietatem ceu digito commonstrare. Canis rabidus si hominem mordeat, adigit eum in hydrophobiam; ut quanquam siti enecetur, tamen bibere nequeat, imò aquam plus ipsa morte refugiat. Dipsas serpens ictu suo & ipse hominem siti perimit; qui licet aquam quidem non aversetur, tamen fieri nequit, quin siti pereat vel in aquam provolutus. Quarum quidem rerum quis tandem censeat rationem ab elementis reddi posse? Symptomata verò quæ Tarantulam inferre scribunt,

quis

quis non admiretur? Ajunt, quos fecerit ridentes hos risu enecari; quos inambulantes, hos ad extremum usq; vitæ spiritum non posse non inambulare: quos tripudiantes, hos tripudiando concidere. Quid multa? quo quem adoritur statu, eodem & interimere. Vt meritò ridendi videantur omnes illi, quicunq; tam stupenda Naturæ miracula, elementis accepta ferenda opinantur. Iam verò & stirpibus & terræ fossilibus & mari innascentibus sua quibusq; deleteria sunt. Magnes argento vivo vel oleo illinitus perunctusq; ferrum non allicit. alij addunt & allio sed puto allium positum pro oleo; quin & adamantis præsentia ajunt reddi immemorem officij sui. Succinum, gagates, adamas, cùm omnia ferè ad se rapiant; ocymum tamen aversantur. Filix vanescit, quæ copiosa in ambitu arundine obsita est: & contrà arundo perit, quam obsepiens multa filix in orbem cingit. Quercus juglandi proximè assidens, exarescit. Brassica cyclamino apposita extinguitur. Cicuta vino tanquam veneno aspersa emoritur. Olea in quercus scrobe posita marcescit, tamq; pertinaci odio hæ inter se dissident, ut si alter alterius ramos attingat; incurvescant ac retorti resileant, alioq; se inclinent. Fraxini umbram non ferunt serpentes. Vitis solam brassicam claviculis suis non complectitur, sed in diversam ab illa partem se inflectit; sed & eadem à lauri vicinitate abhorret, &c. Huc referantur & animalium quædam implacabiles & ceu deleteriæ inimicitiæ. Lupus quum homini tum omnibus animantibus inhiat. Crocodilus (de quo proverbium, Crocodili

Inimicitiæ rerum.

codili lachrymæ) homini insidias struit, ac devoratum discerptumq; deplorat. Hyæna insidiosa calliditate atq; astutia vocem hominis imitatur eumq; dilacerat. Cerastes corniculis armata belua, draco, hydra, dipsas (cujus morsus siti atq; inexplebili bibendi aviditate hominem excruciat) coluber, aspis, vipera, scorpius, multæq; aliæ nocentes bestiæ homini potissimè insidiantur, atq; venenatos morsus ac lethiferos aculeos infigunt. Delphinus implacabili odio Crocodilum persequitur. Buffonis & stellionis assidua pugna est cum aranea.

Ad locum inimicitiarum naturalium refero & Idiosyncrasiam, qua homines quidam quibusdam à rebus mirum in modum abhorrent. Sunt qui omnem vitam degant abstemij. Alij caseum, alij butyrum, alij alia edulia cane pejus & angue aversantur. Reperiuntur complures qui viso fele præsertim si propiùs accesserit exanimentur. Refert Scaliger (quo num quid vel mirius vel facetum magis dici possit equidem nescio) quendam reguli Vasconis equitem audito phormingis sono non potuisse urinam continere: quod cum innotuisset cuidam è turma quem forte liberioris joci offensiuncula asperserat, hanc ipsi parasse ultionem. Pone discumbentem adduxisse cœcum quendam phorminge modulantem, cujus audito sono eques ille è vestigio vel inter accumbentium pedes mejere fuerit coactus.

Alexiteria. Alexiteria duum ferè generum sunt. Quædam enim amicissima familiaritate vim deleteriam extrahunt: Quædam verò vi inimicissima qualitatem adversariam expellunt. Cæterum Alexiteriorum exem-

exempla hîc maximè inſerenda putavi. Et quidem eorum quæ amuleta vocantur, magna eſt copia: inter quæ eſt quod radix peoniæ maris, lapisq; item hirundinarius appenſus collo, epilepſiam profliget: quòd lapis Selenites nudæ cutis contactu ſanguinem quavis ex parte manantem ſiſtat: quòd laſpis dyſenterica alvi profluvia pro amuleto adhibitus cohibeat: quòd Scorpius ſuo vulneri impoſitus injectum virus exhauriat: quòd vivens aranea juglandis teſtis incluſa colloq; ſubnexa quartanam depellat: quòd ranarum oculi ante Solis ortum eruti, vivis illis in aquam dimiſsis, allegati tertianas abigere dicantur: quod omnium ſerpentum dentes evulſi quartanas ſanare perhibeantur: quod talpæ viventis dens dentium dolores compeſcere, contactu affirmetur: quòd cor corvi geſtatum ad inhibendum ſomnum: cor verò veſpertilionis ad hunc accerſendum valere exiſtimetur, aliaq; ſexcenta hujus generis. Alexiteria etiam intrò ſumenda ut varia ſunt venena, ita his perdomandis & ipſa ſunt varia, in quibus perdiſcendis cognoſcendiſq; bona artis Medicæ pars verſatur: qualia quidem ſunt quòd ſapphirus anthracem vel fuget vel diſcerpat: quòd cancri fluviatiles à rabido cane demorſis opem ferant: quòd ſcordium & centaurium minus lethalium beſtiarum ictibus: terra lemnia hauſtis cantharidibus aut lepori marino ſuccurrat: quòd terra armena à peſtilentibus febribus vindicet, &c. Certè felis nepitâ herba ſibi medetur: ranæ, buffones, lacertæ, & ſerpentes herbæ ranunculi eſu & contactu recreantur: ibis paſta ſerpentibus ori-

gano salutem quærit: mustela cum regulo dimicatura se ruta præmunit: confixus cervus sibi dictamno opitulatur: testudo cunilæ herbæ pastu vires contra serpentes refovet: panthera aconito à venatoribus perfricata excrementis hominis sibi medetur: Elephas oleastro chamæleontis veneno occurrit: cervus herba cinare venenatis pabulis resistit: corvus chamæleontis virus lauro extinguit, &c. Hactenus duo virium occultarum genera pertexui: sequitur nunc tertium.

Vires partim amicæ partim inimicæ.

Purgantia mediam quandam vim habent inter amicissimam inimicissimamq; Quatenus vi prædita sunt inimicâ: veluti per seditionem è corpore exiguntur. Quatenus verò vim quandam habent nostræ naturæ amicam: illum secum rapiunt atq; è corpore educunt humorem, cui attrahendo, ob substantiæ similitudinem, nata sunt. Hinc fit ut, cùm clementiora sunt quàm ut stimulare naturam possint, ipsa in illum convertantur humorem quem fortiora fuissent eductura. Cæterum quod rhabarbarum bilem prolectet, agaricus pituitam ducat, elleborus melancholiam deturbet: cedò quis uspiam est mortalium qui rationem possit reddere ab elementis? Iam verò quod de alimentis & deleterijs dixi horum quædam peculiariter quasdam corporis partes afficere: idem & de purgantibus intelligatur. Quædam enim jecur, quædam lienem, quædam pectus pulmonesq;, quædam verò caput purgant: alia renum alia vesicæ calculos conterunt: Nihil omninò est in ulla naturæ parte quod non peculiari & occulta proprietate vigeat. Atq; hactenus quidem

quidem occultas rerum vires prosecutus sum. Quod si cuipiam alia harum placuerit divisio: per me sanè suo fruatur sensu. Licebit eas à partibus quas afficiunt distribuere. Item quòd aliæ insint rebus vivis virentibusq; , quomodo magnes integer vi pollet attrahendi ferrum quam in pulverem comminutus disperdit: Heliotropium decerptum Solem non insequitur: torpedo mortua sine offensa attrectatur adeoq; & estur. Aliæ interemptis decerptisq; ; quomodo Rhabarbarum aliaq; purgantia etiam arida humorem quæq; sibi familiarem prolectant. Aliæ deniq; computrescentibus, quæ, priori relicta forma, alij recipiendæ adornantur: , quomodo videmus Solem ex vituli putrescente cadavere apes, ex equi vespas & crabrones, ex asini scarabæos, ex hominis serpentem progignere: quarum quidem rerum stultus sit, qui ab elementis rationem reddere conetur. In harum pulcherrima contemplatione attentiùs versari convenit, quoties videmus ex luto, ex limo, ex sorde (ut Galeni verbis utar) mira varietate elegantissima quæq; vi cœli effingi animalcula. Abrumpo filum, desinoq; occultas rerum vires ulterius pertexere.

DE MODO VTENDI rebus.

Supereſt modus utendi rebus genitis, quem in Therapeutica tradam. Nunc igitur primam Medicinæ

dicinæ partem concluſurus: facturum me arbitror pretium operæ, ſi quem uſum hac in Medicinæ parte præſtet Aſtronomia, ex omnibus ijs, quæ hactenus diſſerui, breviter colligam atq; ob oculos ponam.

DE VSV ASTRONOMIAE IN PHYSIOlogica Medicinæ parte.

Præfari hîc me oportet, ſic Medicinæ partes eſſe diſtinctas, ut quædam ſeorſum attribui poſsint ſingulis: ſic rurſum eſſe connexas, ut quædam non ſic dici poſsint in una, quin ſimul pertineant ad aliam. Therapeutice cùm uſum monſtret & Phyſiologiæ & Pathologiæ; quis ambigat ſtrictim ſubinde repeti oportere in illa, quæ in his ſeorſum jam pridem tradita fuerant. Ita in conjugio Medicinæ & Aſtronomiæ demonſtrando evitare omnino non potui, quin ſemel dicta quandoq; rurſus attingerem. Sed & in confirmatione quædam dixi, quæ forſan aliquis judicet rectiùs in confutationem fuiſſe differenda: Rurſus quædam in confutatione dicta ad confirmationem pertinent. Video & Galenum hac excuſatione uſum, quod agens de diebus decretorijs non potuerit non ea ſimul attexere quæ ad materiam pertinebant criſium: id quod indicandum putavi ob novitia & nupera quædam ingenia ſuperſtitioſè ſcrupuloſa, quæ nihil habent prius quàm magno ſtatim ſupercilio tautologiæ objicere crimen, ſicubi idem bis dicatur. Ego verò ipſos potiùs tota via aberrare judico, qui, omnia ad ſcrupulum dicendo, ſic laborant breves eſſe, ut maximè

fiant

fiant obscuri, methodo illâ suâ nuperâ, peccentq; magis bis rem eandem reticendo, quàm dicendo: modò omnis repetitio ijs sit circumscripta terminis, atq; eo condita sale, tum etiam sic è re nata, ut neq; tædium neq; nauseam pariat doctioribus, sed lucem potius adferat rei de qua agitur intelligendæ simulq; & gratiam. Verùm agè ad rem ipsam.

Demonstraturus usum Astronomiæ in Physiologica Medicinæ parte, poteram sanè complura utilitatum accumulare capita, atq; illud imprimis apponere Platonis, quod in Timæo suo Astronomiam magnum esse ad pietatem adminiculum perhibuit. Cui Picolhomineus suffragatus inter reliquas hanc Astronomiæ utilitatem imprimis celebrat, quam & nos inter Astronomiæ fines numeravimus *quod ex cognitione motus tot tantarumq; sphærarum, &c. Dei opt. max. immensa potentia summaq; sapientia intelligatur.* quibus mox subdit. *Atq; hinc factum esse credo, ut cùm ex Philosophis Astronomiæ imperitis multi athei fuerint, tamen ex Astronomis neminem eò dementiæ devenisse sit proditũ.* Deinde & illud addere poteram, quod, dicente eodem Platone, ex astrorum & cœlorum motu cognito, ipsam Philosophiam adepti simus. Vt non immeritò magnus ille Ioannes Fernelius exclamârit: *O verè felices qui secretiore hac cognitione sapientissimi fiunt!* Sed missis omnibus communioribus: agè ea duntaxat in medium adferamus quæ medullitus ipsam Medicinam concernunt.

1. Illa primo loco in memoriam revocentur, quæ nuper ex Hippocrate, Galeno, Aristotele, Plinio, Lemnio & Fernelio adducta sunt. Ac præ reliquis

quis quidem illud quod Hippocrates inculcavit, medico obſervanda eſſe quatuor cardinalia anni tempora decretoria tum & ſidera itidem decretoria cum decretorijs quibusdam Zodiaci punctis ſive cardinalibus ſive extra cardines poſitis vel orientia vel occumbentia: quod tamen non tam huc quàm ad Therapeuticen pertinere fateor. Deinde illorum etiam aſtrorum ortus & obitus, quæ non anni tempora deſcribunt, ſed temporum ſtatum & conſtituunt & ſubinde mutant, hoc eſt, planetarum: qui non tantùm rerum generandarum, nutriendarum, augendarum ac rurſus interimendarum cauſa exiſtunt, ſed etiam in locorum, aquarum, animalium, ſtirpium, frugum, fructuum, aëris, ventorum, ciborum, potionum, deniq; totius mundi temperie varijs modis afficienda, mutandaq; planè ſtupendas à Deo vires ſortiti ſunt. Vbi Lunæ cumprimis vis peculiariter notanda eſt ſingulis ferè ſeptimanis, hoc eſt, quadratis Zodiaci locis in ſignum contrarium commigrantis, hoc eſt, trigonum mutantis. Vnde doctrinam dierum decretoriorum manaſſe omnem & in Theorematum aſtronomicorum certitudine indicavi, & in Therapeutica Medicinæ parte ex Galeno luculenter demonſtraturum me recipio. Deum immortalem tam meretricia atq; impudenti quempiam reperiri fronte qui ſe Hippocraticæ ſcholæ jactans diſcipulum, tamen ingeminare hoc identidem ſevero ſatis & tetrico auſit ſupercilio, ſe velle in curandis morbis plantas inſpicere non planetas! Ego verò Lector jurare auſim id genus medicos in lectitando

Hippo-

Hippocrate vel tantillum operæ posuisse nunquam.

2. Perspicua quidem sunt ista Hippocratis: sed enimverò jam supra modum te rogatum velim, quisquis his legendis animum adhibes, ut non minori cum alacritate & illa attendas, quæ ex Galeno citavi: atq; inter cœtera illud quidem jam hîc vel maximè, quod inquit posse ex Luna prænunciari quinam dies salutares, quinam itidem infesti non modò ægris, sed etiam sanis futuri sint? Id quod Galenus exemplo illustrans, dicit, Si homine quodam nascente, planetæ in ♈ sint salutares, in ♉ autem maligni: eum hominem, cùm Luna in ♈, ♋, ♎ & ♑ fuerit, belle habiturum. Cùm verò Luna Taurum ipsum, vel tetragonum aliquod, vel diametrum signum occupat: malè tunc & molestè vitam transacturum. Item eidem homini morborum initia pessima fore, cum Luna in ♉, ♌, ♏ & ♒ fuerit: sine periculo autem & salutaria cum ♈, ♋, ♎ & ♑ Luna permeat. Vnde equidem & ratione & experientia stultorum magistra tum insuper tanti omnium medicorum Coriphæi authoritate fretus, ajo incumbere cuivis docto medico, cui paucorum cura demandata est, præsertimq; Archiatris, hoc est, magnorum principum medicis, qui unius atq; alterius curam præ omnibus gerunt, ut horum themata cœli natalitia quàm accuratissimè erigant: id quod summis ubiq; medicis curæ semper fuisse innumeris propè exemplis demonstrari possit, qui Principum suorum themata natalitia non erexerunt modò, sed editis etiam libris ad posteros transmiserunt. E quibus


exempli gratia paucula hæc excerpere atq; huc afscribere placuit. ☞


Hæc verò erecta jam themata cœli natalitia, cùm in tuenda valetudine nullius usus esse possint sine themate revolutionum: & hoc meritò quotannis erigere debebunt, observata diligenter revolutionum, directionum & profectionum annuarum doctrina ab Astronomis tradita, quò videre atq; animadvertere quàm accuratissimè possint, quæ syzygiæ siderum natalitiæ intemperatæ malignæq;, quæ revolutionum loca lædant. Hæc enim ceu scopulos quosdam in mari naufrago noctes & dies, magna cum sollicitudine præ oculis habere convenit, ad quos ne Princeps sive sanus sive æger offendat etiam atq; etiam metuendum est. Siquidem morborum initia in his locis apheticis decurrente, Galeno teste, pessima sint: contra quæ excubias agere utiq; deceat medicum fidelem, doctum, & industrium, atq; in procinctu stare semper, ut proba victus ratione tanquam machina quadam, venientem morbum à Principe suo, ceu hostem à muro arceat, avertat, depellat. Quod quidem sicut partim rationibus physicis, tum verò vel maximè multorum seculorum certissima experientia, ac ipsiusmet magni Galeni gravissima expressissimaq; authoritate nititur: ita qui id vel impietatis vel superstitionis convinceret, in tanta oblatrantium turba hactenus repertus est nemo. De themate nascentis morbi in sequentibus Medicinæ partibus dicam.

3. Iam & hominis temperamentum nativum non aliunde rectiùs cognoscitur quàm ex themate natali-


Henricus II. GallorumRex
dafcitur


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727145347/phys_0139
DFG






Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727145347/phys_0140
DFG





Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727145347/phys_0141
DFG





Iohannes Albertus Alberti filius
Dux Megapolitanus
nascitur

1527.

M.	D.	H.	m.
Decemb.	22.	1.	0.

Suerini sub elevat. pol. 54. Gr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727145347/phys_0142
DFG

natalitio: quia ipsum tamen unà cum tempore subinde mutatur, absit ut inficias eam, ad cujusq; temperamentum exactè pernoscendum alias quoq; res in consilium esse adhibendas.

4. Quin etiam cùm in rebus universis magna & multivaria sit temperamentorum diversitas, vel ijs inquam in rebus quæ planè unius sunt generis atq; eadem è materia prognatæ, pro diversis varijsq; astrorum syzygijs & multiformi siderum implexu, ortum cujusq; rei promovente: hanc certè etiam utilitatem ab Astronomia capiet medicus, sive semina terræ mandaturus, sive herbas plantaturus; ut tempore sationis plantationisq; sidera cujusq; temperamento & naturæ convenientia observando, quævis simplicia medicamenta habere possit, per quam optima. *Ea observatio*, dicente magno Fernelio, *cælestia utiliter accommodat aptat q; terrenis, & remedia plenis integris q; viribus opportunè sufficiens, opera profert admiratione digna: ad quæ non alius quisquam accedet ijsdem etiam subsidijs instructus. Hinc quas veteres magna vigilantia pervestigarunt rerum proprietates, nunc permulti irritas comperiunt: quarum usu intempestivo plerumq; fraudantur.*

Reliqua passim ab authoribus tradita de observatione siderum in radicibus effodiendis, herbis decerpendis, & medicamentis omne genus præparandis exhibendisq; Therapeuticæ Medicinæ parti reservo: similiterq; & illa quæ de crisibus & diebus decretorijs ad motum Lunæ supputandis pleniùs edisserenda restant. Iamq; ad Pathologicam transeo.

PATHOLOGICA SECVNDA MEDICINAE PARS.

PAthologica Medicinæ pars versatur circa res præternaturales sive insalubres, nempe circa affectus præter naturam, qui tres numerantur. 1. Morbus. 2. Morbi causa. 3. Symptoma. Vnde perspicuum est Ætiologiam & Semeioticam rectè sub Pathologia comprehendi.

DE MORBIS.

Morbus est affectus præter naturam actionem primò lædens. estq; vel simplex, vel compositus, vel implicitus cum alio, vel disjunctus. Primo loco de simplici agendum erit, qui est vel similaris vel organicus vel communis, quæ quidem summa morborum distributio non ex morbi essentia sed ex partium varietate deprompta est. Horum genera inferiora quæ & subalterna vocant, quisquis exactè cognoscere cupiet, Fernelium videat unum omnium nostri seculi medicorum coriphæum. cui proximus ab Hippocrate & Galeno locus meritissimè debetur; quamquam non desint Ferneliomastiges, qui cùm præ invidia maligno dente Ferniliana arrodere non erubuerint: è Fernelij tamen penu non tam deprompserunt quàm suffurati sunt quicquid ipsi de suo videri voluerunt novum de re medica in medium attulisse, verbis tantum mutatis Fernelianis, atq; ordine nonnihil variato. Non est nostri instituti omnia ad amussim prosequi, percurram tamen pleraq;

Morbus simplex.

pleraq; quæ ad rem pertinere videbuntur, & præcipua affectuum genera indigitabo, servato ubiq; ordine Ferneliano, adeoq; & verbis quoad ejus fieri poterit. Parti cuiq; similari tria insunt; materia, temperamentum & forma: erunt ergo & morbi similares tres nempe materiæ immoderatio, intemperies, & formæ seu totius substantiæ corruptela. Materia immoderata mollis est aut dura, laxa aut stricta, tenuis aut crassa &c. hæcq; illius vitia morbi sunt. Iam verò intemperies octo numerantur, quatuor simplices, calida, frigida, humida, sicca: conjugatæ totidem calida & sicca, calida & humida, frigida & sicca, frigida & humida; quæ cum exuperant, actionesq; manifestè lædunt, morbi fiunt. Aliàs hæ puræ existunt aliàs ex humorum vel intemperatorum vel putridorum vitio prodeunt. Totius verò substantiæ nomine & insitum spiritum & divinum illius calorem naturamq; & facultates, deniq; & ipsam formam complectimur. Erunt ergo totius substantiæ morbi, qui partium substantiam primum & per se oppugnant. Horum alij manifesti sunt alij occulti. Manifesti quidem qui partium corporisq; substantiam manifestis ex causis demoliuntur: ejusmodi sunt ulcera maligna, phthisis, jecoris, lienis aliarumq; partium putredo ex primarum qualitatum intemperie nata: Et spiritus innati dissolutio per vigilias, labores, inedias, atrocesq; dolores: Et nativi caloris extinctio in strangulatu vel in penetrabili extremoq; frigore. Occulti morbi sunt qui cæcis ex causis totam substantiam oppugnant. Eorum alij venenati, alij contagiosi, alij

Simplex similaris.

Morbi materiæ.

Morbi tēperamēti.

Morbi totius substantiæ.

Manifest.

Occulti.

Pestilētes. pestilentes. Ac pestilentes quidem ex aëre, cœlestium corporum viribus inquinato suscitantur, ut febris pestilens, ut carbunculus, & pestilens bubo: hiq; graviores appellantur. Sunt & alij leviores ut exanthemata tum rubra tum purpurea, quæ summa cute maculis minimè extuberantibus floreſcunt: & ecphymata, quæ pituitæ eruptiones dicuntur; atq; utriq; consueti sunt. Præter hos nonnunquam alij emergunt insolentes, novis & inauditis ex causis orti, ut paraplegia quædam Hippocrati dicta, urentes ardores, gravedines anheloſæ, sudorifica febris, quibus nostro seculo regiones plurimæ perculsæ & afflictæ sunt: alios verò alia secula protulerunt, qui veterum oblivione obruti extinctiq; jam sunt: alios futuris seculis posteritas animadvertet, cum novæ syderum concursiones permistionesq; illorum effectrices obtingent. Pestilentibus morbis ij affines sunt quicunq; causam communem habent: quorum quidem distributionem si hic adjiciam nihil utiq; videbor abs re facturus alienum. Morborum itaq; in multos vagantium alij Pandemij aut Pancœni appellantur, id est, totius plebis morbi, aut omnibus communes; alij verò dispersi, quos, quod causam non communem habeant ulterius non prosequar. Porrò Pandemiorum alij sunt simplices, quorum causa stabulatur in communis cibi potusq; vitio: alij Endemij qui tum fiunt quando communis aër ab inferioribus terrenisq; causis inficitur: alij epidemij qui quidem tum oriuntur, quando aër communis contaminatur non à causis inferioribus sed superioribus. Sunt autem hi duorum

gene-

generum. Si enim aër coinquinetur ex temporum tempestatumq; mutatione: tum fiunt epidemij simplices. Sin verò aër inficiatur ex cœlestium corporum pernicioso influxu: tum oriuntur verè pestilentes. Pergo ad contagiosorum genus. Contagiosi morbi externi cujusdam veneni occursu & contagione inferri solent, ut stupor à torpedine pisce vel ab Opio, & hydrophobia, & qui scorpionum bestiarumq; virulentarum morsu aut telorum ictibus infliguntur. Hujus quoq; classis sunt lues venerea, elephantiasis, quiq; ex horum confusione oriri possunt. Venenati morbi ex veneno aut intus genito aut assumpto originem ducunt. Ex intus genito morbus comitialis, strangulatus uteri à putri semine, syncope ex putrido sanguinis grumo, & quædam cordis palpitatio. Ex assumpto veneno morbi ejus veneni naturam imitantur quod totius substantiæ disidio nobis est infensum: ejusmodi sunt quos aconitum, taxus, ephemerum, cantharis, lepus marinus, hujusq; classis plurima intulerunt. Atq; hactenus quidem morbi similares enarrati sunt: sequuntur organici.

Contagiosi.

Venenati.

Organici morbi differentiæ sunt quatuor una conformationis, altera magnitudinis, tertia numeri, quarta situs: quarum deinceps singulæ in plures conciduntur minutias, quas omnes prosequi cùm ad nostrum institutum parùm attineat, supersedeo.

Morbus simplex organicus.

Communis morbus est ille quem Solutionem continui vocant. Dicitur communis quòd non modò partem similarem vitiet, sed & instrumentum, cujus omnis ratio in conformatione consistit. Solutioni

Morbus simplex communis.

lutioni continui varia ex partium differentijs nomina posuerunt. Ossis enim solutio transversa, fractura dicitur; recta verò, fissio. Cartilaginis quæcunq; sit solutio nomen nondum invenit. Nervi solutiones sunt punctura, & incisio in transversum, & fissura in rectum. Membranarum omnis solutio ruptura dici solet. Cutis levior solutio solam epidermidem divellens, excoriatio est: at quæ in veram cutem aut altius in carnem penetrat aut vulnus est aut ulcus. Morbos simplices huc usq; recensui, restant compositi implicitiq;.

Morbi cõpositi. Quando plures morbi in una aliqua parte seu membro concurrunt vocantur morbi compositi: Sin autem in uno quidem corpore coëant, uniq; officiant actioni sed tamen partibus hæreant diversis: impliciti appellantur. Quod quidem discrimen hoc carmine memoriæ juvandæ causa composito enunciare soleo:

Morbi impliciti.

Impliciti morbi diversis partibus hærent,
Compositi contrà parte hærent semper eâdem.

Morbi disjuncti. Disjuncti morbi sunt qui & diversis hærent partibus, & diversis officiunt actionibus. Longiùs morborum differentias jam hîc prosequi extra mei instituti foret oleas; quippe qui in morborum occultorum stadio tantùm decurrere statuerim. Non nescio novitios quosdam, quibus placuit Medicinam potius caudâ (quod ajunt) perstringere vulpina, quàm in Palæstra desudare astronomica, aliam commentos esse morborum distributionem, in qua de occultis seu divinis morbis ne my aut gry quidem:

dem: quos quidem per me licet ut imitentur quotquot laboris piget, & bonas horas rebus alijs impendere magis juvat, quàm graviſsimis quibusq; authoribus evolvendis. Et de morbis quidem hactenus: progredior nunc ad cauſas.

DE MORBORVM CAVSIS.

Ætiologia, hoc eſt, ea Medicinæ pars quæ morborum cauſas tradit, digniſsima certè eſt, in qua Medicus quemcunq; exitialis furor empiricus non planè tranſverſum rapit, ingenij nervos intendat ſui: quòd fruſtra ſuſcipiatur omnis medendi labor non cognitâ morbi cauſâ; qua manente, morbum tollere ſit impoſsibile. Cauſa eſt affectus præter naturam, actionem quidem lædens, ſed non primò: quippe morbi utens intervenientis adminiculo. Sunt autem cauſæ genera Philoſophis quatuor, Materia, forma, efficiens atq; finis. Naſcentis morbi ſubjecta materia eſt humanum corpus, in quo penitus is inſidet: non enim vitioſus humor ſubjecta eſt morbi materia; quamquam efficiens illius materia quodammodo dici poteſt. Forma eſt morbi ſpecies in materiam impreſſa inductaq; Finis actionum læſio & interitus. Reſtat efficiens omnium cauſarum certè præſtantiſsima & princeps, quæ corpus immutat deq; optimo ac priſtino ſtatu deturbat. cujus differentiæ tantò erunt indagandæ diligentiùs, quantò ipſa per ſeſe eſt dignior. Cauſarum efficientium alia eſt nobis congenita alia adventitia. Congenita eſt vel naturalis vel præternaturalis. Naturales quidem cauſæ temporum ætatumq;

Cauſa Materialis.
Formalis.
Finalis.
Efficiens.
Cõgenita naturalis.

tumq; decursu sensim nos immutant, & sine sensu in extremum senium mortemq; deducunt. Hoc è genere est primordiorum ex quibus constamus repugnantia, & insiti nostri caloris efficientia; qui tametsi nos quoad vivimus alat, tueatur & regat, nos tamen etiam tempore mutat & conficit. Hoc eodem in genere & illam censendam arbitror causam quam ex Galeno nuper retuli, constitutam non modò in ijs Zodiaci locis unde nascentem quemq; planetarum syzygiæ intemperatæ maligniore radio aspexerunt, verùm etiam in eorundem signorum locis tetragonis diametrisq;, adeò ut Luna per illa loca decurrente morborum initia isti homini pessima & ferè calamitosa sint. Impresserunt siquidem illæ siderum syzygiæ cuiq; nascenti sua quædam veluti stigmata aphetica, quæ recrudescunt, graviterq; afficiuntur, quotiescunq; Luna ijsdem in signis aut eorundem locis tetragonis diametrisve humores potenter moverit; id quod in morbis acutis quadratis morbi temporibus, hoc est, diebus decretorijs contingit.

Siderũ syzygiæ natalitiæ morbos vel salutares reddunt, vel calamitosos.

Præter naturam congenitæ nobis causæ dicuntur quæ vel ex seminis vel ex materni sanguinis vitio exortæ morbos tandem nobis accersunt. Exempla passim obvia sunt nimis multa quæ hîc enumerare modò non vacat. De causis adventitijs videamus. Causa adventitia est vel externa vel interna. Externa est vel necessaria vel contingens seu fortuita. Necessaria quidem, quæ necessariò nobis ferenda sit, qualis est illa quæ à Dei angelis sive bonis sive malis infligitur; quæ quidem cùm sit trans naturam

Congenita præternaturalis.

Causa adventitia.

Externa necessaria.

turam ad theologos fuerit ableganda. Sed verò est & alia causa externa necessaria sine qua vivere non liceat, in rebus sita non naturalibus sive neutris, quæ sex numerantur, 1. aër in quo versamur. 2. cibus & potus. 3. motus & quies. 4. somnus & vigilia. 5. quæ exernuntur aut subsistunt. 6. animi perturbationes. In quibus omnibus & singulis variè afficiendis permultum posse virtutes cœlorum, nemo mortalium potest ignorare. Non necessaria seu contingens causa est, quam declinare licet, cujus generis res multæ reperiuntur: sive nos circumstent & in ambientium locentur genere, ut æstuaria, balnea, unctiones, emplastra, vestes & tegumenta, florum deniq; & aromatum odor, omnisq; fumus aut vapor vel manifesta vel occulta vi præditus: sive à nobis ingerantur, ut medicamenta, quæ quoties vel imprudenter vel ex causa vorantur, primis, secundis, tertijsq; qualitatibus, aut tota substantia, spiritus, humores, corpusq; afficiunt: sive egerantur ut sanguinis è naribus aut è vulnere eruptio, venus immoderata &c. sive deniq; gerantur ut clamores, vociferationes, dolores, & externi motus, ut navigatio, vectio, gestatio, equitatio. His finitima sunt frictio, attritus, contusiones, casus, vulnera, ferarum morsus, venenatarum bestiarum ictus, & quæcunq; fortuitò in nos irruunt. Hactenus causam externam quam & evidentem vocant indicavi: sequitur interna.

Externa cõtingens.

Causa morborum interna stabulatur in contentis nempe sanguine, humoribus, excrementis, adeoq; & corporis spiritibus, quos nunc etiam contentis

Interna.

annumero, aliàs impetum facientia appellatos. Quæ quidem res in humano corpore contentæ, si naturæ legibus tenentur, salubres & sanitatis conservatrices appellantur: sin verò de naturæ bonitate multum decedunt, insalubres & morborum effectrices. Decedunt autem quinq; modis, nempe substantia, qualitate, quantitate, agendi modo, & ordine; quæ jam hic non prosequar singula. Illud sciendum, omnia contentorum vitia à rebus neutris paulo ante enumeratis dependere.

Antecedēs. Continēs. Oportet autem causam internam in duo rursum secare genera, ut altera sit Antecedens & altera Continens. quarum hæc morbo proxima est, illa inter Continentem & Evidentem media. Exempli gratia. In Pleuritide cibi potusq; usus qui præcessit immoderatus, est causa evidens. Plenitudo autem venas vel diducens vel disrumpens, ipsaq; venarum diductio aut ruptio, sanguinisq; effluxio causæ dicuntur antecedentes. At sanguinis copia lateri impacta putrescensq; continens causa est. Nemo tamen arbitrabitur in omni semper morbo oportere hæc tria causarum genera concurrere; nam aliquando duo aliquando etiam unum duntaxat causæ genus morbo faciendo sufficere potest. Expedivi morbos & causas: sequuntur symptomata.

DE SYMPTOMATIBVS.

Symptoma est affectus præter naturam, morbum sequens, cujus genuina quædam soboles est.

Sympto-

Symptomata triplicia sunt. Alia sunt actionis læsæ; sive naturalis sive animalis sive vitalis vel abolea- Symptomata, sunt trium genera. tur, vel minuatur vel depravetur. Alia qualitatis mutatæ in colore charactere vel mole. Alia deniq; excrementorum vel substantiâ peccantium, vel qualitate vel quantitate vel excernendi tempore, vel excernendi modo. Tanta est eorum quæ morbos produnt occultos symptomatum varietas: ut, volenti ea percensere, vel integro sit opus volumine. Symptomatis significatio aliquando strictior est, aliquando laxior. Præterea magna est signorum varietas, quæ licet symptomatum propriè non habeant rationem, diligentem tamen considerationem postulant.

Desino affectuum præternaturalium differentias longiori filo trahere, quippe aliunde petendas: saltem hoc ago ut cœlorum siderumq; vim in inferiora hæc intelligat Lector. In rerum generatione tum & rerum genitarum viribus demonstrandis, cœlestium corporum in hæc inferiora vim tantis gravissimorum hominum authoritatibus certissimâ multorum seculorum experientiâ comprobatis, tum insuper rationibus physicis confirmatam ob oculos posui, ut non magnopere extimescendum mihi arbitrer quenquam Antagonistam qui se huic Philosophiæ parti fortè exhibebit adversarium. Agè nunc etiam quid in morbis ciendis cœlum & astra possint, videamus. Cœli vis in morbis generādis.

Dixi morbos similares esse tres, nempe Materiæ immoderationem, intemperiem, & formæ seu

totius substantiæ corruptelam. Atqui jam pridem ostendi neq; materiam neq; qualitates elementorum ad rerum vel materiam vel temperamentum constituendum suapte potestate coire aut commisceri posse, si cœli virtute destituantur. An ergo dubium cuiquam esse possit virtutes cœlorum materiæ tam immoderandæ (sit verbo venia) quàm commoderandæ pariterq; tam intemperiei quàm temperiei conferre plurimum, prout syderum syzygiæ vel temperatæ fuerint vel intemperatæ? Quomodo post Galenum & Plinium de Lunæ vi attestatur Lemnius, *Cum Lunæ sidus*, inquit, *sit homini familiare ac proximum, terræq; citimum: præ cæteris in corpus humanum vim suam exerit, ac per singulas partes peculiari vi effectuq; volvitur, non sine acerrimo nonnunquam cruciatus sensu. Si quid enim latentis occultiq; vitij ulli membro subest: doloribus acerbe concutitur ac dilaceratur vellicante illas partes Lunæ vi, aut agitatis humoribus qui illi infixi sunt ac tenaciter inhæresc unt. Ita omnes morbi, affectus, intemperies, Lunæ vi exasperantur atq; increscunt, ubi articulis insidet: adeò ut vulnera ægrè saneſcant aut cicatrice obducantur, ac nonnunquam lethalia efficiantur, si quando illi membro illata sunt cui Luna incumbit. Pari ratione caput, fauces, pulmo, pectus, hepar, lien, renes, vesica, intestina, tum nervosæ partes incommodum percipiunt, aut in ijs intemperies ingravescit, subsistente in ijs visceribus sidere. Si pectus astrictum est & anhelosum; nervi, membranæ, musculi contrahuntur ac rigescunt, ubi hàc Lunæ decurrit. Humores enim quibus omnia membra imbuta sunt & aluntur cùm salubres, tum insalubres & vitiosi Lunæ motibus effectibusq; expositi sunt & subditi.* Hæc Lemnius de

Cœli vis in morbis materiæ & temperamenti.

De occul. Nat. Mirac lib. 4. cap. 15.

de prioribus duobus similiarium morborum generibus.

Iam verò & morbos occultos, in quibus divinum quippiam ipsus cognovit Hippocrates, percurramus, genera sectati Ferneliana, quæ tria esse nuper diximus, nempe Venenatorum, Contagiosorum, & Pestilentium. Agè à verè pestilentibus exordiamur. Extant libelli quidam seu tractatus de peste, quorùm Authores nescio quo dissentiendi studio huc incubuerunt totis ingenij viribus, ut convincerent nullam posse in vitam mortalium grassari pestem sine putredine, adeoq; hanc solam pestis esse genuinam causam. Sed errant boni viri toto cœlo. Atq; illud quidem imprimis nescio sitne risu magis dignum an stomacho, quòd tanto conatu nugantur de aëris putrefactione. Posse aërem multis modis infici atq; inquinari seu contaminari minimè est dubium; at computrescere posse vix verisimile est, ob tenuitatem substantiæ vel levissimæ auræ perflabilem. Aristoteles certè uno quodam loco aërem computrescere posse disertè negavit, altero rursum affirmavit; id quod utiq; non potuit, nisi generaliùs putredinis vocabulo pro qualibet inquinatione accepto. Agè verò computrescat sanè aër à causis inferioribus: an quid morbi progignere poterit præter endemios? Iam si infici eum etiam statuamus à tempestatum causis superioribus: cedò nunquid aliud proferet quàm morbos epidemios simplices? Est ergo pestilentium morborum causa multo altior & divinior. In eo autem multo magis infantiam suam produnt, quando pestem occidere negant

Cœlum immittit morbos occultos.

An qua pestis sine putredine?

Problem. sect. 25. quæst 20. Metrolog. lib. 4. cap. 1.

negant nisi præcedente humorum corporis putredine ceu causa proxima. *Quum aliquis* (inquit magnus Fernelius) *integrè sanus accessu ad pestiferum peste corripitur, aut à rabido cane demorsus in rabiem agitur, aut scorpionis compunctu, aut hausto toxico extinguitur: quis quæso tam sit hebes, ut statuat unam omnium putredinum causam, quæ tam varia tamq; & multa efficiat nullo alterius concursu? Quæ possit tam vehemens tamq; pernicioſa putredo in hominem nec plethorâ nec cacochymiâ nec obstructione correptum repentè irrumpere? Magna certè pernicies plerumq; hominem rapit nullis ejuscemodi causis inquinatum: quemadmodum & hæ causæ interdum jugulant, nulla comitante pernicie, ex quibus à putredine pernicies internosci discerniq; potest. Brevis certè & compendiaria sed periculosa nimis ista hæc medendi ratio quæ solas putredinis causas animadvertit.* Hæc Fernelius.

NB.

Diffitendum equidem non est pestem quæ epidemijs simplicibus aut endemijs constitutionibus permiscetur & in corpora incidit cacochymica multo esse graviorem illâ, quæ plurima solaq; consistit; stat tamen hoc propriam genuinamq; puræ simplicisq; pestis causam esse minimè elementarem sed divinam cœlestemq;. Atq; hoc illud nimirùm est quod magnus Hippocrates inculcavit *esse aliquid divinum in morbis, quod diligenter investigare oporteat medicum: quippe quòd hac ratione meritò sibi admirationem & boni Medici existimationem conciliaverit.* At verò quæritur illud Divinum quidnam tandem sit? Certè nisi velimus promiscuè & elementa & res omnes elementares vocare divinas; oportebit aliquid intelligere elementis divinius. Id autem quid sit alio loco

Lib præ-not. Divinum quid in morbis.

expres-

expreſsit vir divinus, quando epidemicorum peſtilentium cauſam tradens illam ſtatuit, non in cibo potuq; ſed *in eo quod ſpirando ducimus*, nempe in aëre, quem dicit *morboſam quandam excretionem planè obtinere*. Lib. de Nat. hom.

Hæc vero excretio alia utiq; definiri nequit quàm ea, quæ à ſingulari aſtrorum ſiderumq; implexu excernitur: quippe quod neq; à cauſa endemia neq; à ſimplici epidemia ſcaturire poſsit: vel hac una ratione quòd & peſtis ſine ejuſmodi cauſis ſæpenumero incidat, & ipſæ non rarò ſine peſte tranſeant. Stat ergo hoc morborum peſtilentium cauſam non debere aliam fingi aut poni aëris excretionem quàm illam quæ eſt à pernicioſa ſiderum permiſtione. Huc accommodari debent quæcunq; nuper ex Hippocrate, Galeno, Ariſtotele, Plinio, Lemnio, Fernelio adduxi teſtimonia, de aſtrorum planè ſtupendis viribus. Quibus nunc & Hieronymum Mercurialem addere placet; qui licet lividiore aliàs in Fernelium ſtylo, hîc tamen vel invitus illi manus dare coactus fuit. Fatetur enim *peſti quippiam ineſſe divinum, & vim quandam veneficam occultam aëri à ſideribus inductam*. Lib. de peſte cap. 5. & 6. & 7.

Morbida excretio cœli.

Quin & peſtem Venetam Patavinamq; ortum habuiſſe ex aëre demonſtrans, *ſidera inuſitata* commemorat, *ignes aërios, eclipſes, annum bis ſextum, monſtra & animalia quæ cœlum è putri materia generat*: Adeoq; & ipſus argumentum (quo magnus Fernelius utitur ad τὸ θεῖον in morbis probandum epidemijs) uſurpat, quòd peſtis hæc potiſsimum propria quædam flagitarit alexiteria, quibus ceſſerit potiùs quàm ad generaliorem medendi methodum accommodatis. Vnde utiq; efficere liceat, divinum quid habuiſſe hanc

pestem præter putridas illas rationes putredinum.

lib. de natur. hominis. Docuit Hippocrates communis morbi communem esse causam nempe aëra. Ergo aër erit causa pestis, quatenus quidem malignæ qualitatis subjectum est; at verò quænam & cujus generis illa maligna sit qualitas quæ aëra in qualibet peste contaminet, hoc inquam potissimum illud est de quo quæritur. Inquinamenta aëris à causis inferioribus profecta omnibus animantibus spiritum ducentibus communia sunt. NB. At divinum illud aëri cœlitus impressum suum ferè cuiq; peculiare est animantium generi: quomodò etiam pleraq; venena non omnibus animantibus æquè pernicioſa sunt. Hinc quandoq; videmus aliam incidere pestem quæ solos boves jugulet, aliam quæ sues, aliam quæ oves, aliam quæ gallinas, aliam quæ solos homines; quibus singulis sua quibusq; peculiaris siderum commistio ceu causa propria haud dubiè contingit. Refert Diomedes Cornarius cùm anno 1598 & 1599. per universam ferè Germaniam quædam boum pestis immaniter grassaretur: ex decreto sereniſsimi Archiducis Matthiæ &c. à collegio Medico Viennensis archigymnasij, quænam tanti contagij causa esset? quæsitum fuisse. Medici communicatis consilijs responderunt duas potisſimum occurrere, unam remotiorem nempe astrologicam, alteram propiorem quam ille appellat physicam, quasi prior non esset vel maximè physica. Astrologicam quidem allegarunt hanc quòd anno 1597 in Tauro visus esset cometa, tum etiam

Historia boum pestis.

con-

conjunctiones multæ in signis ruminantibus. Deinde & hanc alteram addiderunt rationem physicam, quod diuturna præcessisset nebulosa cœli constitutio, & humiditates terræ ob inundationes inductæ; unde pascua infecta essent ex ejusmodi humiditatibus, atq; aër contagiosus redditus ex demortuorum pecorum decubitu. Cedò verò Lector quis uspiam esse possit tam obtusa ingenij acie, qui non videat hanc posteriorem rationem esse longè communissimam? quæ si valeat jam non solos boves sed & oves, porcos, capras, equos aliaq; id genus animantia communibus & pascuis & aëre utentia pestis promiscuè corripere debuerit. Consectaneum igitur est, ut, quamquam causæ illæ & pandemiæ, & endemiæ, deniq; & epidemiæ simplices, malum auxerint; vera tamen & propria istius pestis in solos boves grassatæ causa non statuatur, post Deum, alia, quàm cœlestis illa à siderum syzygijs deducta, quomodo etiam pulchrè Vergilius:

Quam multæ pecudum pestes, nec singula morbi
Corpora corripiunt &c. Et paulo post:
Hîc quondam morbo cœli, miseranda coorta est
Tempestas, totoq; autumno incanduit æstus.
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum
Corrupit q; lacus, infecit pabula tabo.

Poëta philosophus pestem vocat morbum cœli: cui coorta miseranda tempestas causas addiderit epidemias simplices tum & endemias.

Redeo ad Fernelium amplius etiamnum rationes infectantem putridas. *Si quis*, inquit, *contentiosè*

asseveret putredinem causam esse pestilentiæ, sed quæ non una semper sit & ejusmodi, verùm nunc illi nunc alteri animantium generi perniciosa: necesse est fateatur malignam hanc esse quæ huic illivè præcipuè adversetur. Id autem quid est aliud quàm venenum totâ substantiâ non manifesta qualitate infensum? Nemo enim explicare possit quis modus aut quæ ratio sit ejus putredinis quæ vel bobus vel ovibus vel hominibus solis sit infensa. Id si nec dilucidè exprimi, nec animo percipi potest: debet in eorum genere censeri quæ cæca, obscura & abdita nuncupamus, & totâ substantiâ contraria sunt, totoq; genere deleteria; quæ nec ab elementis nec ab eorum qualitatibus fluxerunt. Itaq; quicquid asseratur omnis pestilentiæ cæca & delitescens est causa, & aliunde quàm ex primis qualitatibus aut ex putredine profecta, unde vero? à cælo nimirum. At non à firmamento, nec à motu primo, ut qui semper sui similis est; non à Solis obliquo circumactu, sed à certa permistione syderum. Sol motu suo anni tempora æquabiliter facit, ac disterminat ver, æstatem, autumnum & hyemem. Quòd autem non omnes æstates æquè fervidæ sint aut siccæ, nec omnes hyemes pariter rigeant aut humescant: quod æstas quædam muscarum & scarabæorum quasi nubes proferat, alia sit ab his omnibus purissima: quod omnium admiratione locustæ tanto exercitu in Galliam convolârint anno octingentesimo sexagesimo quarto: & in Italiam anno 1478, ut omnia germina depopulatæ sint: id jam non à Solis motu, sed à varia syderum commistione petendum: quorum motus non inutiles & præter rationem summus rerum conditor certis legibus definivit. Deinceps subdit vir doctissimus. *Vt,* inquit, *alia horum commistio imbres, alia serenitatem, alia austrinam, alia aquiloniam aliamve tempestatem movet: ita sanè fatendum quandam obtingere quæ aëri pestilentiam immittat.*

Omnis pestilentiæ causa à cœlo est: & quidé non à motu primo, sed secundo.

Vt

Vt quoq; multa sunt pestilentiæ genera: ita uniuscujusq; peculiarem quandam esse commistionis rationem & propriam causam, quæ aliàs mitiùs, aliàs ferociùs in aërem atq; in nos furiat & debacchetur. Gravis est eorum stupiditas, qui sidera nihil in aëra nisi calorem & frigus, imbres aut siccitatem lumine motuq; suo inducere contendunt. Si illa benè constituta omnium vitam tuentur ac conservant; cur malè constituta vitæ non incommodent? Illinc prima & præcipua est rerum omnium salus & conservatio; illinc quoq; interitus. Has causas atq; vires soli de medio tollunt, &, tanquam nullæ sint, negant: qui hujus sunt contemplationis imperiti. O verè felices qui secretiore hac cognitione sapientissimi fiunt: quâ neq; ad præcavendos neq; ad persanandos pestilentes morbos est ulla præstantior. Itaq; puræ simplicisq; pestilentiæ causa est cœlestis configuratio vim inferens: quæ neq; temporum mutatione, neq; ulla manifesta qualitate, sed solo eventu deprehendi potest. Huc usq; Fernelius.

At gravior eorũ qui ne hęc quidem concedunt.

Videor mihi nunc sat multa dixisse de morbis pestilentibus ijs qui graviores appellantur. Sunt alij leviores nempe Exanthemata & Ecthymata. Hæc pustularum specie in summa cute extuberant, alba quidem sed in ambitu rubra. Exanthemata verò maculæ sunt exiles vel rubræ vel purpureæ vel nigræ. Doctissimus Hadrianus Iunius *Exanthemata*, inquit, *sunt propriè ea quæ Galenus lib. Epid. 6. ἐξανθήματα & κεγχρώδη à milij similitudine vocat. Belgicè* die Maselen. Mox Hippocrati Ecthymata esse quæ Barbari morbillos vocant, probat ex Galeno lib. Epid. 3. *quod è tenuibus nata humoribus in hulcuscula potius quàm tubera abeant: at è crassis humoribus orta in tumores cutem attollant.*

Exanthemata. Ecthymata.

Eadem Aëtio vocari ait ἐκθέσματα *à similitudine ejectionis algæ in littus. Belgicè* die kleine Porkens: *Hæc Plinio Varos appellari, ut & exanthemata papulas & boa.* Guilielmus Rondeletius author & ipse minimè contemnendus eadem ferè refert quæ Hadrianus Iunius. Docet enim ex Galeno locum Hippocratis 3. Epid. de Ecthymatis explicante, *Ecthymata si à crassis humoribus oriantur, in tumores attolli: sin à tenuibus humoribus aut tenui sanguine ortum ducant, exulcerari.* Exanthematum nomen, quod generalius sit, appellat vagum: ut meritò Galenus illi differentiam adjecerit à milij desumptam similitudine. Neq; vero insolens est aut novum, quandoq; unum idemq; vocabulum modò generis habere rationem modò speciei: id quod & Theologi norunt & Iureconsulti & Medici & Philosophi. Quid multa? Quas barbarè Variolas & belgicè die Maselen vocitant: hæc probatis quibusq; authoribus Exanthemata dicuntur. Quos vero Barbari recepto vocabulo appellitant, Morbillos belgicè die Porkens: hæc Ecthymata & Galeno & doctioribus plerisq; nuncupantur. Hæc mala à pestilenti siderum permistione oriri docet magnus Fernelius, quòd quavis aëris constitutione & quovis tempore ingruant, sicut de alijs pestilentibus paulò ante demonstratum est. Ait quod infantibus & pueris magis familiaria sint, hanc posse reddi rationem: *quia firmior ætas & adultior tantulis malis non lacessitur.* Idem de morbis contagiosis in universum attestatur & Lemnius lib. 2. cap. 51. *Illos,* inquit, *comperio morbis contagiosis quales autumno æstivis q; mensibus*

mensibus grassari solent, citius corripi ac succumbere, qui teneriores sunt ætatis atq; invalidæ, humidoq; corporis habitu existunt. Cujus generis sunt impuberes ac sexus muliebris, tum qui otio somnoq; dediti excrementorum copiam coacervant. Hi siquidem promtius periculis sunt expositi morborumq; contagia celeriùs concipiunt. Vt enim perpolitum tersumq; speculum, aut nitida quæq; citissimè denso halitu ac fuligine offuscantur: ut deniq; ignis levissimas stipulas atq; arida nutrimenta confestim corripit, quum solida seriùs inardescant: sic tenera corpuscula ingruente primùm populari morbo, ut minus armati munitiq; milites in bello conficiuntur, &c. Exaggerat doctissimus Fernelius horum affectuum gravitatem dicens *eorundem tam deformem aliquando esse visam fœditatem, ut occæcatis oculis, universa cutis in squamas fœtidas & in crustas ingentes solveretur: corpus omne non aliter contabesceret & macie nigroreq; torreretur, quàm si menses quatuor è furca pependisset.* Cæterum & hoc meminisse convenit eum, censeri Fernelio graviorem morbum quemcunq; pestilentem, qui in corpus inciderit cacochymicum aut alijs morbis implicatus fuerit: ne quis fortè Fernelium omnem morbillorum deformitatem, cœli duntaxat pernicioſæ qualitati asscribere calumnietur.

Fernelius defenditur contra Mercurialem.

Mirari hic subit impudentissimum Hieronymi Mercurialis cavillum qui sibi censuit non posse integram esse gloriam, ni inter cæteros ipsi magno etiam insultaret Fernelio musca nimirum Elephanto, atq; hunc etiam, si Dijs placet, erroris coargueret, Sus nempe Minervam. Intolerabilis prope in hoc homine emicuit φιλαυτία, fuitq; ferè ut effusissimæ

mæ dictionis, ita in aliorum laboribus æstimandis censor longè iniquissimus; eorum etiam quos ipsus alioqui doctissimos appellitare consuevit. Audiamus sanè quid de Fernelio nostro non sit veritus scribere. *Miror autem*, inquit, *Fernelium doctissimum, quòd sine ulla auctoritate sine ullo testimonio dixerit Exanthemata & ἐνθύματα apud Græcos medicos diversa esse.* Itane vero? Iam ergo & doctissimum Hadrianum Iunium miretur & alios quorum potius exosculari debuerat doctam authoritatem quàm reprehendere, atq; insuper gratiam habere tantis viris qui sub latioribus vocabulis latitantem rerum differentiam minimè ambiguis rerum notulis in apricum eruerint, dederintq; in conspectum, ipsorum veterum Græcorum confirmatam rationibus; ut imperita juventus haberet inposterum quod tutò amplecti & sequi posset, minimè hærens ambiguis generalium vocabulorum salebris. Scilicet hæc Noctua Athenis deerat & hic censor magno Fernelio. Iam verò quid hoc sibi vult quòd eundem Fernelium puerili planè contradictioni implicare magno conatu nititur? *Si*, inquit, *tot horrenda accidentia, quæ spectantur in variolis, proficiscuntur ab inimica aëris qualitate: necesse esset ut hæc qualitas & insignis & efficax sit. Si ergo est insignis: cur dicit Fernelius immunes esse viros ab hoc malo, quia aëris qualitas non est admodum efficax?* O sermonem insulsum & viro indignum literato! Rem unam eandemq; diverso respectu & magnam & parvam dici posse, an obsecro quisquam adeò est rerum imperitus qui ignoret? Pernicioſa vis cœli causa existens Exanthematum Ecthymatumq; per se con-

se considerata quin magna satis sit minimè est dubium: eadem tamen comparata ad illam cœli malignam vim quæ sese exerit in gignenda graviori peste: obsecro an quid obstat, quo minus parva dici possit? quomodò idem Mercurialis & magnus erit & parvus itemq; doctus pariter & indoctus si cum diversis comparetur. Pudet me certè tempus terere ejusmodi nugis refutandis minimè Mercurialibus. Illud præterire intactum non debeo, quod ait Fernelium conari quidem Arabum placita de exanthematum causa refutare, sed *novam substituere sententiam sibi consuetam, videlicet morbillos & variolas suam originem ducere à cæca & arcana aëris vitiati qualitate.* Respondeo hanc me non Fernelij duntaxat sententiam esse sed magni etiam Hippocratis non ita pridem ostendisse, quam quidem cramben semel coctam hic recoquere nolim. Quod si digna fuit sententia hæc quam insectaretur Mercurialis: cedò cur ipsus eam amplexus est? Etenim ipse Mercurialis expressisimis verbis, *Suspicor*, inquit, *vehementer morbillos & variolas, cùm primùm esse cæperunt, vitio cœli & aëris factas esse. Quod me ad hoc credendum movet, illud est: Arabes Medicos, quorum tempore videtur cæpisse hic morbus, prodidisse eos pestem esse, fieri in peste & à corrupto cœlo oriri.* Idem postea repetit dicens: *Initiò hunc morbum vitio cœli omnes tentasse aut ferè omnes: qui deinceps hanc proprietatem paternam in filijs inserentes non est mirum si longè latèq; malum propagârint: & hæc proprietas facta sit non solum promiscua, sed etiam naturalis.* Hæc omnia ipsius Mercurialis sunt: In quibus ut duo mecum consi-

deres te quisquis es Lector vehementer rogo. Primum vide quomodò Mercurialis in doctissimi Fernelij sententiam manibus pedibusq; eat, manifestè & palàm confessus primam morbillorum variolarumq; originem deberi cœlo: atq; hanc fuisse Arabum Medicorum unanimem sententiam. Deinde vide mihi quid dissentiendi studio huic sententiæ novum idem Mercurialis de suo attexat, nempè non jam amplius hæc mala oriri cœlitus, sed à parentibus propagari; id quod utiq; nihil est aliud quàm oraculum è solius Mercurialis profectum tripode, hoc est, putidissimum commentum, nullis suffultum rationibus. Pari ratione quis dixerit & ipsam vel gravissimam quamvis pestilentiam olim quidem solitam fuisse oriri ex pernicioſa cœli vi & maligna siderum permistione: at nunc morem illum inolevisse, neq; jam amplius pestem immitti cœlitus, sed à parentibus in liberos naturaliter propagari. Illene contradictionibus irretitum teneat magnum illum & meritò admirandum Fernelium: qui ipsus & in re clara confessaq; tam pueriliter balbutit, & vel planissimo in scirpo nodum quærit? Desino vino vendibili hederam, Soliq; quod ajunt, facem præferre; ille est Fernelius qui mea vel defensione vel commendatione nihil opus habeat, quiq; ceu prægrandis quidam molossus quarumcunq; canicularum allatratus facilè contemnens, ab incepto cursu recta via perficiundo ne vel tantillum quidem dimoveatur.

Mercurialis commentum.

Absurdū.

Exanthematibus ecthymatibusq; finitimæ & quadam similitudine conjunctæ sunt febres sudorificæ,

Febres sudorificæ.

ficæ, quæ insolentes magno terrore in omnem inferiorem Germaniam, in Galliam, Belgicam & in Britanniam anno Christi 1525 in annum 1530 autumno potissimum pervagatæ sunt. Non potuit utiq; non ea tempestas esse pestilens quæ tam multos tam multis sensim mundi regionibus repente sine sensu oppresserit: cum cordis indesinente palpitatione, cum animi defectione perpetua, cum eruptione foras ad cutem, quæ multorum est pestilentium morborum communis.

Illa porrò omnibus decantata gravedo anhelosa anno Christi 1510 in omnes fere mundi regiones debacchata cum febre, cum summâ capitis gravitate cum cordis pulmonumq; angustia atq; tussi, quanquam multo plures attigit quàm jugulavit: sed suo tamen impetu proprioq; ac inaudito veneni genere pestilentem prodidit. Hactenus morbos pestilentes enarravi, atq; in ijs vim demonstravi cœli pernicioſam: ratio postulare videtur, antequam ad contagiosos venenatosq; progrediar, ut de endemijs & epidemijs simplicibus, quæ utraq; & ipsa vitium aliquod communis aëris agnoscunt, nonnihil dicam. Gravedo anhelosa.

Illud utiq; constat communis morbi communem esse causam. Hæc autem causa communis est aër contaminatus non in pestilentibus modò sed etiam in endemijs epidemijsq; simplicibus, sicut dixi non ita pridem, tum endemios fieri morbos quando aër inficitur à causis inferioribus: at epidemij simplices fiunt aëre infecto à temporum mutationibus & tempestatum causis superioribus, id

quod Galenus pariterq; & Hippocrates perspicuis rationibus *lib. de locis aëre & aquis*, itemq; *lib. epidemiorum*, *tum & aphorismorum tertio* luculenter demonstrarunt. At enimverò aliud quippiam, præter vim tempestatum, & mutationum temporis in morbis epidemijs agnovit magnus Hippocrates, nempe ipsum epidemiorum morborum impetum. Sidera enim ut pestilentes, ita & alias interdum minus pernicioſas atq; occultas excitant qualitates, quas deprehendere licet in omnibus morbis populariter grassantibus. Ac ne in citandis exemplis nimius sim: agè unius quartanæ febris rationem perscrutemur: de qua Galenus, *Primum verò*, inquit, *hoc ipsum considera nunquid autumnus frigidam & siccam inæqualemq; temperaturam acceperit: tunc enim certius sperabis quartanos circuitus in ipso fore frequentiores: Posthæc si regio ipsa talium febrium sit procreatrix: si ægrotantis natura atræ bili sit obnoxia: si ratio victus antecesserit, quæ hujusmodi humorem coacervavit: & si eo tempore quartanæ febres populariter fiant.* Hoc loco Galenus præter ægrotantis, regionis, & victus conditionem, duplicem in ambiente nos aëre constituit causam, 1. unam frigidam & siccam inæqualemq; temperaturam. 2. alteram nec nomine nec verbo expressam, quæ tamen causa est, cur quartanæ febres populariter fiant. Hæc tametsi adeò obscura est & naturæ arcanis involuta, ut nec propriâ essentiâ nec nomine comprehendi possit: eam tamen & esse constat & aliam ab intemperie. Si igitur quartanarum populariorum causa obscura & delitescens est; necesse utiq; fuerit

Prædict. 2

In omni morbo popular aliquid inesse occultæ pernicieſi siderum. Aphor. 44. 4.

fuerit ipsas quoq; quartanas essentiâ obscuras & occultas haberi. Vulgò quidem uno omnes ore quartanarum cæterarumq; intermittentium essentiam in humoris putredine constituunt, & ex hujus differentijs illarum differentias eliciunt deducuntq;. At verò neq; humorem computrescentem neq; calorem putredinalem febris esse totam essentiam facile probari potest. 1. quod & febris sine putredine & putredo sine febre existere possit, *Agè*, inquit magnus Fernelius, *gravi ille putredine scateat sine febre: hic verò cum febre. Hic præter simplicem putredinis rationem aliud quippiam circumgerit à quo febris incitatur, & quod accedens febrem inducit, decedens abducit. Id quocunq; nomine appelles: à putredine diversum quiddam est, in quo consistit febris essentia. Hoc autem ut constet luculentiùs paucis referam quæ observationibus olim animadverti. Misellus quidam quartana febre simplici & lue Venerea sordidis ulceribus deformi, duobus sanè quàm contumaciſsimis malis conflictatus opem medicam exposcit. Convenienter præpurgato, ligni Guajaci decoctum imperatur cum victu tenui & admodum exquisito. Horum perseverantiâ universi corporis putridus humor partim absorptus partim dissipatus est in sudores, omnisq; partium intemperies sic abacta est, ut maligna quæq; & sordidissima ulcera, quibus tum nasi extremum excíderat, tum reliquum corpus omne scatebat, ad cicatricem perducta sint. At nihilominus cùm à lue Venerea integrè vindicatum corpus videretur, omnis q; illius obstructio soluta, omnisq; exhausta putredo: quartana tamen contumaciter in tempus longissimum producta est. Ex quo intelligi potest*

Putredo non est tota febris essentia.

Historia

proximam illius causam non in obstructione, non in humorum putredine, sed in affectione quadam secretiore statui, quæ partibus ipsis inhæresçit. Hanc affectionem Galenus jam senex vocavit dispositionem in parte excrementa generante: quæ utiq; dispositio febrilis longè diversa est ab intemperie id quod æstimari facile potest ab eventu superiori contrario. Sæpenumero enim, quartana febre soluta, corpus etiamnum permanet impurum, aliàs quidem alijs febribus, aliàs cruditati, aliàs lienis schirro, aliàs cachexiæ, alias hydropi, aliàs alijs ex putredine malis obnoxium. Non ergo quartanæ febris (de qua loquimur) substantia in humore putrescente aut calore putredinali ponenda est. 2. Idem probatur & hac ratione, Quòd sæpe ex impuro corpore & putredine confecto quartana febris non simplex modò sed & duplex & triplex proprijs antidotis abigatur, nulla purgatione præmissa & stabili impuritate: adeò ut non præter rationem propria quædam febrium remedia invulgentur, quibus vel aniculæ optimis medicis calumniam texant, illorumq; artem insimulent. Vnde utiq; necessariò consequitur, divinum quippiam ineſſe morbis popularibus aliunde profectum quàm à causis endemijs epidemijsvé simplicibus. Cedò, quandoquidem de quartana sermo nobis institutus est, quis ab elementis rationem reddere possit, cur quartanæ febris statæ & quæ errabunda non sit circuitus pomeridianis duntaxat horis invadat? imo eo sit contumacior, quo meridiei propius invaserit? Hæc quis tam occulta & involuta esse credat, si non etiam occulta planeq; obscura quartanæ sit essentia?

2. de differ. feb. cap. 17.

Dispositio febrilis ab intemperie diversa.

Propria quædam febrium remedia.

ria? Ista de morbis epidemijs suffecerint: transeo nunc ad alterum genus morborum occultorum, seu totius substantiæ, quos dixi contagiosos appellari.

Contagium dicitur, quòd contactu inficiat, oriturq; aliud à ratione manifesta, ut phthiseos, lepræ, scabiei, pruritus, quorum causa in putredine consistit: Aliud à ratione occulta, de quo agimus hoc loco. Hujus generis quædam tam sunt vehementia ut possint integræ cutis contactu hominem interimere. Narbonæ taxus tam præsentis est veneni, ut, authore Dioscoride, si qui dormiant sub ea, aut in ejus umbra consideant, lædantur & sæpenumero moriantur: quandoquidem corpori universo strangulatum & celerem interitum infert. Basiliscus tantæ perniciei ab Avicenna describitur, ut non eos modò qui vel manu vel alia corporis sui parte, sed etiam qui virga attigerint, momento necet; quod & visu & sibilo efficere tradunt. Torpedo piscis tanta pollet stupefaciendi vi, ut si quis eam piscator vel longiori tridente fortè attigerit, mox in stuporem inducatur, res meherclè prorsus stupenda. Complura alia & in animantium & in stirpium genere reperiuntur, quæ cute licet integra, tamen solo contactu hominem de medio tollunt. Alia hebetiora sunt, quæ non nisi aperta cute vim suam corpori possunt imprimere, ut sagittæ venenatæ, aspidis, hydræ, viperæ, cerastis, dipsadis, anguis, scolopendræ, salamandræ, stellionis, pastinacæ, lacertæ, draconis, crocodili, phalangij, scorpij, & rabidi canis morsus; quamquam & hujus sputum

Morbi cõtagiosi.

vel

vel ſolo contactu hominem in rabiem agere poſsit. Harum facultatum & virium tum & morborum ratio nem qui ab elementis reddere poſsit, nemo vivit mortalium. Sequuntur nunc morbi venenati tertium occultorum genus.

Contagioſorũ morborum ratio ab elemẽtis reddi nequit.

Morbi venenati.

Morbus venenatus eſt is qui nec ducto inſpirato, nec aëre, nec externorum contagione: ſed una delitescentis intus veneni pernicie provenit, ſuboffenditq;. Venena vel intro aſſumuntur vel intus progignuntur. Quæ intrò ſumuntur alia quidem in metallorum, alia in ſtirpium, alia in animantium genere ſunt. In metallorum genere ſunt arſenicum, auripigmentum, chryſocolla, calx, æs uſtum, atramentum ſutorium, ſulphur, adamas, lapis cæruleus & armenus: itemq; hydrargyros, cinabaris, ceruſa, plumbum, minium, gypſum. Horum licet priora cauſticâ vel ſepticâ, id eſt, urente vel putrefaciente vi; poſteriora autem aſtringente & præfocante nobis infenſa ſint: minimè tamen eſt dubium totius ſubſtantiæ diſsidio nonnihil etiam veneni reconditum habere. In ſtirpium ordine ſunt aconitum, chamæleo; taxus, ephemerum, thymælea, laureola, thapſia, rhododaphne, ranunculus, dracuntium, tithymali genera, & quæcunq; immodicè purgandi vim obtinent, ut veratrum, ſcammonium, cypariſsias, cyclaminus, colocynthis, aliaq; ejus generis non pauca, omnia verè deleteria. Sunt & nonnulla quæ licet qualitatum duntaxat exuperantijs infenſa putentur: quin tamen malignitatis aliquid habeant, non eſt ambigendum, ut euphorbium, anacardus, itemq; opium, mandragora, hyoſciamus, cicuta,

cicuta, ſolanum manicum, fungus. In animantium genere numerantur cantharides, lepus marinus, ſalamandra, bupreſtis, devorata hirudo, pinorum eruca, felis cerebrum, ſanguis tauri, lac corruptum, piſcium aut pecudum fulgure vel peſtilentia interemptorum carnes, & quæcunq; ſupra diximus vel morſu vel contactu enecare. Omnia hæc non modò qualitatum exuperantijs, verùm etiam totius ſubſtantiæ diſsidio exitialia & deleteria eſſe, morboſq; inferre venenatos duobus argumentis evidentiſsimè probatur. 1. à ſymptomatum quæ inferunt ſævitia. 2. ab alexiterijs quæ veteres ad curationem invenerunt. Dixi de venenis quæ intro ſumuntur: videamus de ijs quæ intus gignuntur.

Morbi venenati elementorũ qualitatũ exuperantijs attribui nequeunt.

Quæ in nobis gignuntur venena non primo ſuo ortu ſed longo ordinis progreſſu atq; mutatione talia evaſerunt. Galenus certè *de loc. affect lib. 6.* ait Veteres evidentiſsimis rationibus collegiſſe, eoſdem affectus fieri & à lethalis veneni potione, & à corruptione quæ è corpore ſcaturire poteſt. Hanc autem quam appellat corruptionem reipſa venenum eſſe mox canis exemplo demonſtrat: in quo tanta plerunq; fit humorum corruptio, ut totus in rabiem agatur, quæ veneni ſoboles eſt. Atq; tum & canem ipſum & omnes illius humores venenatos haberi, argumento eſt quòd ejus ſputum humanum corpus attingens rabiem excitet. Vnde equidem meritò perſuaſum eſſe debet in nobis ſimiliter corruptionem quandam ſpontè gigni poſſe, quæ non modò veneni vires æquet, ſed & ipſa tota venenum ſit: id quod graviſsimorum quorundam affectuum

Venenum nobis quãdoq; innaſcitur.

hypothesibus potest ob oculos poni Syncopes, Sphaceli, Strangulatus uteri, Morbi comitialis, Apoplexiæ, aliorumq; quorum præcipua causa est venenum quapiam abditiore corporis parte delitescens. Non est instituti nostri horum morborum pleniorem tractationem moliri: hoc unum ostendisse abundè satis est morborum occultorum, quorum tria genera recensui, non posse causam ab elementis reddi, sed originem hos agnoscere cœlestem; Quare Medicum oporteat in morbis pernoscendis dinoscendisq; animum non in elementis atq; eorundem qualitatibus defixum habere, sed altiùs assurgere ad cœli cœlestiumq; siderum vires, quibus terrena hæc generantur, conservantur, mutantur, interimuntur, & varijs modis afficiuntur, perscrutandas. Cæterum illud in memoriam revocare jam hîc candidum Lectorem velim, quòd in Physiologia enarrans rerum generandarum causas, dixerim quædam effici per angelos administratorios Dei spiritus. Deinde & in Pathologia insinuavi quasdam morborum causas & ipsas nonnunquam per angelos sive bonos sive malos immitti. Idem jam hîc etiam repeto morbos quosdam à Dei angelis quandoq; infligi: quomodò de Ægypti primogenitis & Assyriorum exercitu sacra scriptura testatur. Sed & Iob malignis ulceribus à Diabolo ipsius Dei jussu afflictus fuit. Hujusmodi morbi cùm prorsus trans naturam sint: non est quòd quisquam indignetur ijs locum non esse factum in distributione nostra: neq; etiam hos intellexit Hippocrates, quando dixit aliquid divinum esse quibusdam

Non oportet Medicos animū in elementis defigere.

busdam in morbis. Forsan non ineptè quis id genus morbos appellarit sacros & theologicos; quibus proinde & theologica debeantur remedia.

DE VSV ASTRONOMIAE IN PATHOLOGICA MEDICINAE PARTE.

1. Cùm constet rerum neq; materiam neq; temperamentum ab elementis constitui posse sine efficiente cœli atq; astrorum vi, sicut in Physiologia docui: Cùm itidem nemo ignorare possit magnam esse cœli vim in quavis intemperie concitanda, tum & morbis inducendis ijs quos materiæ appellavi: nemo opinor tam erit vecors qui non palam videat vel in his etiam morbis, præsertim si populariores sint, rectè cognoscendis plurimum momenti habere Astronomiam.

2. Morbos formæ, quos dixi occultos vocari & totius substantiæ, nemo nisi Astronomus unquam rectè dijudicabit. Huc itaq; remis velisq; contendet, quisquis utilem in arte medica navare volet operam, ut probè cognitum habeat qui planetæ & quæ sidera unicuiq; corporis particulæ, & quæ unicuiq; tum animantium tum stirpium generi præsint: quæ siderum consociatio morbos ingeneret, quæ salutaria illis profligandis remedia ferat. *Hac inspectione* inquit doctissimus Fernelius *cognitioneq; rerum, mox ratione comprehenditur, quòd omni tempore, rerum proprietates cum mundi spiritu illabuntur insuntq; rebus efficacissimæ, & quando herbas stirpesq; singulas legere, quando componere, quando ad curationem adhibere expediat:*

(qua de re latius in Therapeutica Medicinæ parte)
Hæc illa est verissima præstantissimaq; cognitio, quæ nos una scientissimos reddit: quòd tamen difficiles salebrososq; aditus habeat, à pleris q; negligitur & ferè deserta prætermittitur.

Liceat obsecro hic mihi (quod alioqui ad Therapeuticen pertinere scio) obiter admonere, quàm sit gravis & pernicioſus error, non distinguere morbos formæ, hoc est, occultos, cœlestes seu divinos à morbis manifestis qui in intemperie consistunt. Cùm enim morbi occulti in totâ substantia focum suum habeant, agnoscantq; originem prorsus cœlestem, nempe certam quandam siderum permistionem, ac proinde omnem remediorum vim præterquam alexiteriorum renuant eludantq;: certè quisquis cœli astrorumq; imperitus horum curationem omnem in intemperiei castigatione, in humorum præparatione atq; evacuatione putredinisq; evictione ponet, ille non jam medici fungetur officio sed carnificis: Partes enim nulla putredine sed sola malignitate obsessas vellicabit, vires labefactabit, deniq; non morbum sed animam expugnabit. Contrà, Medicus cœli docilis perituſq; ejusmodi morbis remedia aptabit vi imbuta cœlesti: quomodo Æschrion Galeni laude celebris cancros morsui canis rabidi adhibendos urebat tum, quando Sol Leonis sidus peragrabat; Sed ohe, reliqua in suum locum.

3. Dixit Galenus pessima esse initia morborum qui incidunt Lunâ decurrente per signa natalitia infausta, aut eorundem loca terragona diametravé; E contrario salutaria esse eorum qui tum in-

ingruunt quando Luna signa tenet natalitia fausta, vel eorundem etiam tetragona aut diametra. Cedò quis hoc Medicus dijudicabit nisi qui utriusq; nascentis, hoc est, & ægri & morbi themata astronomica præ oculis habebit ac diligenter inter se conferet?

4. Status nervorum, capitis, aliorumq; membrorum tum & mentis affectiones, rariores quidem à motu Solis, crebriores verò à motu Lunæ excitari tam est manifestum, ut qui id negare velit, planè vel ipsis aniculis se deridendum sit propinaturus: ne quid de hydropicorum aquis dicam, ad motum Lunæ modò intumescentibus modò detumescentibus: ne quid etiam de affectibus quum hominum tum jumentorum in oculis & ipsis subinde ad Lunæ motum crescentibus vicissimq; decrescentibus. Sed enimverò jam & varios symptomatum insultus in morbis acutis illedemum & mirabitur & non mirabitur, quisquis siderum syzygias subinde incidentes haud oscitanter observabit. Pluribus recensendis non immoror: quòd ista sufficere possint ad usum Astronomiæ in Pathologica Medicinæ parte demonstrandum. Restat nunc Therapeutice.

THERAPEVTICA TERTIA
MEDICINAE PARS.

THerapeutica versatur quidem potissimum circa res neutras quas & nō naturales vocant, quibus ceu instrumentis in curando utitur; at non tantùm. Cùm enim totam medendi rationem complectatur: necesse utiq; fuerit quicquid in Physiologia diximus, quicquid & in Pathologia: huic uni ut tandem subjiciamus, tum insuper ipsam etiam medendi rationem, quæ omnis in hoc consistit ut Phisiologia rectè adhibeatur Pathologiæ. Enimverò ipsa Therapeutica inter utramq; ceu Imperatrix quædam media sedet, altero oculorum phalangem affectuum præter naturam conspicata, & altero polidædalam remediorum varietatem: judicio quàm exactissimo librans quid remedij cui morbo debeatur & qua methodo. Digna meherclè res cui diligentiùs tractandæ aliquantulum immoremur. Omne Therapeutices officium in his quatuor consistit. 1. Vt partem affectam seu morbi materiam subjectam, quam vocant circa quam, diligenter indaget. 2. Vt ipsam affectus præternaturalis formam rectè cognoscat. 3. ut prognosin ineat ac de fine medendi deliberet. 4. ut causas efficientes conquirat, quarum ope per rectam medendi methodum adhibita præstitutum finem consequatur. Agè in harum quatuor causarum stadio aliquantulum decurramus.

Pars

Pars affecta quæritur per Symptomata, quæ sunt vel Actionis læsæ, vel Qualitatis mutatæ, vel Excrementorum. Actio est vel naturalis, vel vitalis, vel animalis: diciturq; læsa, quando vel depravatur, vel minuitur, vel aboletur. Qualitas mutatur vel in colore, vel charactere, vel mole. Excrementa sunt Dejectio, Vrina, Expectoratum, Sudor, Menses, Semen; quæ peccare possunt vel substantia, vel quantitate, vel qualitate, vel excernendi tempore, vel modo. Exempla singulorum non addo, quòd non ex instituto & ad amussim Medicinam tractem, sed ijs tradendis potissimum incumbam in quibus Medicinæ & Astronomiæ conjugium quàm maximè consistit. Quisquis igitur omnia & singula symptomatum genera haud negligenter perlustrabit; huic partem affectam invenire non erit difficile. Sed neq; illud, afficiaturne pars per Idiopatheian, an vero per Sympatheian? ignorabit. Pars affecta quo modo inveniatur. Ἰδιοπάθεια. Συμπάθεια.

Morbi cognitio vel ex sola parte affecta cognita, primâ statim fronte nonnunquam resultat. Quòd si huic & examẽ per Symptomata accedet, certè diu latere non poterit: sive in intemperie, sive in mala compositione, sive etiam in uninatis solutione stabuletur. Quòd si nulla adsit unitatis solutio, neq; Symptomata vel intemperiem arguant vel vitiatam compositionem: mox occultæ perniciei suborietur suspitio; quæ vel tum etiam suis se prodet symptomatibus, quando alijs morbis sive temperamenti sive materiæ erit implicata. Quatuor etiam morborum attributa potissimum observari solent, nempe, Magnus, Parvus, Acutus & Chronicus. Magnum Morbus qua via indagandus.

faciunt

faciunt inflammatio & raptus symptomaticus; à quibus parvus immunis est. Acutum verò motus celer, vehemens, constans, æqualis. Chronicum protractius convalescendi tempus.

Causa Morbi qua ratione sit investiganda.

Nunc de morborum causis inveniendis agamus. Causæ congenitæ cognoscuntur 1. ex ætate & præcedenti victus ratione. 2. ex themate natalitio. 3. ex ægri & astantium relatu. Nemo enim ignorare potest innatum nobis temperamentum, præsertim si intemperantior & mala victus ratio accesserit, paulatim annorum decursu immutari, tantisper dum confectos tandem nos morti tradat: unde senectus ipsa per sese morbus dicitur. Id quod Thomas Erastus pulchra similitudine mihi quidem explicasse videtur, desumta à dolio generosissimi vini pleno, cui inter bibendum quotannis novum quidem sed vilius vinum affunditur, tantisper dum omne in dolio vinum annorum progressu vilescat, acescat, pereat. De themate natalitio dixi in Physiologia nec non in Pathologia: cujus tamen usus huc quàm maximè pertinet. Certè cœlum quosdam hominibus morbos ingenerare non est dubium. Et eos ferè morbos calamitosos esse qui incidunt Luna decurrente vel in ijs locis Zodiaci natalitijs, unde nascentem intemperatæ siderum syzygiæ pernicioso radio aspexerunt, vel in eorundem locorum signis sive tetragonis sive diametris: Galenus & disertè asseruit, & ex ipso magno Hippocrate, suffragante jugi experientia, demonstravit: Vt meritò ab horum schola procul explodendi sint omnes illi fuci, quicunq; in medendi ratione

thema

thema natalitium negant præ oculis habendum; non alia de causa, quàm ex mera & pura segnitie. Deniq; causa nobis congenita præternaturalis vel ex seminis vel ex materni sanguinis vitio exorta, non aliundè rectiùs cognoscitur quàm ex ægri, atq; hujus parentum tum & aliorum astantium relatu; qui num morbus à parentibus in prolem hæreditariò transmissus sit, explicare poterunt.

Ad inveniendam causam morbi adventitiam, externam necessariam, primùm quidem jam inventam partem affectam morbiq; speciem in consilium vocamus; quæ plerumq; causam non obscurè præsupponunt. Secundò præeuntem victus rationem, qua æger fuerit usus, quæ tota consistit in rerum, non naturalium usu: hoc observatò ut aëri anni tempus, regionum loca, & aquæ annumerentur: ætas etiam & sexus quandoq; morbi causas haud obscurè indigitant. Hæc autem quam dixi victus ratio ex ipsius ægri atq; astantium relatu cognoscenda est.

Causa morbi adventitia interna Antecedens ut perspiciatur, consulenda primùm est pars affecta, tum verò morbi species; ut Synochus non putrida, causam agnoscit sanguiuem: quotidiana pituitam: tertiana bilem: quartana melancholiam. Mox hinc per seriem symptomatum decurrendum: ubi fieri nequit quin causa interna antecedens statim sese prodat. Antecedente inventa: de Continente, nemo dubitabit.

De Symptomatibus nihil attinet dicere, quòd sicut Morbos & morborum Causas in conspectum Symptoma.

dant: ita ipsa sui ipsorum sint indices. Atq; ista quidem de parte affecta ac affectuum specie invenienda suffecerint: restat ut de Therapeutices fine tum & de Efficiente videamus.

Finis Therapeutices in his quatuor consistit, 1. ut etiam atq; etiam in omni morbo deliberemus sitne ille curabilis annon? 2. Quanto tempore æger valetudini restitui posse videatur? 3. Qua specie criseos? 4. Quosnam oporteat constituere curationis scopos? quæ quidem capita juvat ordine percurrere. Admonuit Hippocrates deploratos non esse attingendos, sed relinquendos præsagijs: At empirici novum quoddã excogitarunt pecuniæ aucupium; quod & nunc quidam, nomine tenus medici, sicut audio, imitari inceptant. Morbos quos nunquã cognoverunt, quorum neq; interrogati rationem reddere possent, tamen curandos suscipiunt, paciscunturq; curationis mercedem satis amplam: cujus dimidiũ statim accipiunt. Deinde medicamẽta exhibent ad solũ ægris palpum obtrudendum, non quæ morbum expugnent sed sanitatem atq; omne ventriculi imprimis robur demoliantur. Tandem ad necem perducto ægro, & reliquũ mercedis exigunt, quasi re benè gesta: siquidem negotiũ illis sit cum id genus hominibus qui hanc fraudẽ non persentiscunt: alioqui apud cautiores & pecuniam acceptam reddituri, & famæ jacturam facturi, & deniq; lumbifragium meritissimè ablaturi. Sed inquam Medicus peritus & non tam auro quàm honestæ famæ auræ inhians desperatos quidem non attingit: quos verò censet sanitati posse restitui, ex affectus & virium ægroti collatione facto judicio, de his mox hanc delibera-

Novũ aucupandæ pecuniæ inventum.

berationem instituit: Quonam tempore sanitas recuperari posse videatur? Hoc tempus veteres appellârunt decretoriũ, non in morbis modò acutis verùm etam in chronicis; in his motum Solis in illis verò Lunæ observantes: sicut abundè patet ex testimonijs Hippocratis & Galeni in vestibulo tertiæ propositionis nostræ adductis: quòd quidẽ tempus decretorium ille demum cognoscet, qui in morbi vigore perdiscendo haud segnem collocabit operam.

Species crisios tres ab Hippocrate numerantur: Natura n. à pepasmo triplicem viam invenit, quâ se tueatur ac morbum excutiat. Aut n. materiam morbiferam foras excludit sudore laudabili, ictero critico, exanthematis: aut introrsum excernit alvi dejectionibus, urinis, hæmorrhagia: aut deniq; per diadochen eam exigit è directo, & procul in partẽ capacẽ, ubi abcessus nascitur. Iã qua specie Crisios æger sanabitur ipsa quandoq; pars affecta indigitat. Siquidem hepatis gibba se urinis laxat; at cavæ ejusdem partes aut vomitu aut dejectionibus. Aliquando ipsa morbi species crisios speciem præ se fert: Febres namq; ardentes acutæ, omnesq; in præcordijs calidæ & acutæ inflammationes judicantur per hæmorrhagiam; sæpe etiam phrænitis; rariùs pleuritis. Item febres ardentes tertianæ, quotidianæ, quartanæ, semitertianæ, per vomitum: aliquando tertianæ, quartanæ, quotidianæ per alvi dejectiones finiuntur. Quin illa quæ dixi morborum attributa crisios speciem haud obscurè denotabunt. Magni & Acuti judicantur crisi: Chronici verò abcessu: Sed parvi die ac temporis tractu solvuntur. Causa etiam morbi præsertim

Species crisios.

Vide Weck. pract. general lib. 2 cap. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

interna nonnunquam speciem crisios indicat: Melancholia per hæmorrhoides ferè: Bilis quandoq; dejectione, quandoq; vomitu, quin etiam hæmorrhagiâ è corpore proturbatur: Sanguis per hæmorrhagiam expellitur: pituita vel vomitu, vel dejectione, sæpe etiam in abcessum abit: Serosi humores aut per sudores, aut per urinas, aut per secessum excernuntur. Deniq; Symptomata omnium maximè speciem crisios dabunt, & præsertim illa epiphænomena, quæ tum eluceſcunt quando jam jam in procinctu crisis est: quomodò oculorum caligo, capitis dolor, vertigo, cardialgia, tremor inferioris labri, & tenuis saliva ab ore defluens, vomitum in præcinctu esse denunciare solent. Hæmorrhagiæ anteambulones sunt lachrymæ manantes, caput gravescens, venæ temporum tensæ ac pulsantes, facies rubens, calor multus. Quòd si per sudores vim morbificam Natura volet expellere: molles undosiq; præcedunt pulsus, rubet facies, & vapido quodam ab æstu corpus universum incalescit. Sin verò sine his omnibus in ἔφοδον suam surgat morbus: jam per alvum Natura crisin molietur, decumbente materia morbifica ad sedem cum lumborum pondere: vel per uterum, materiâ ad pubem viam affectante. Cæterum morbi frigidi ferè per abcessum terminantur, præsertim hyeme, quæ in abcessus solet esse fæcundior. Atq; hæc quidem de specie crisios dicta suffecerint.

Weck. pract. general. lib. 2. cap. 7.

De causa efficiente circuitum

De causa circuituum criticorum seu decretoriorum efficiente non una est omnium sententia, alijs hanc ad mysterium numeri septenarij; alijs ad occultum

cultum naturæ motum, quo acceſsiones fiunt; alijs non ad hunc tantùm ſed ad ipſum etiam motum Lunæ referentibus; quæ poſtrema & Galeni & magni Hippocratis fuit ſententia. Nec enim audiendi ſunt illi, qui in hac doctrina Galenum cum Hippocrate committere nituntur: cùm ipſe Galenus non modò diſertis verbis atteſtetur, ſed & additis argumentis demonſtret ſuam cum Hippocratis ſententia in hac doctrina planè eandē eſſe, adeoq; ſe illam ex Hippoctate deprompſiſſe: ſicut liquere arbitror ex ijs teſtimonijs, quæ ex ipſo Galeno decerpta nuper tertiæ meæ propoſitioni præambula conſtitui.

decretoriorū tres diverſæ ſententiæ.

Eadē Galeni atq; Hippocratis ſententia.

Iuvat jam nunc hoc in loco paulò fuſiùs eadem de re diſſerere, ac quænam illarum ſententiarum melior ſit? diſquerere. Atque equidem quidnam myſterij numerus ſeptenarius habeat in ſacris: ad Theologos pertinet definiendum. Velle autem in rerum naturalium contemplatione, ubi manifeſtæ rationes ſuppetunt, confugere ad neſcio quæ myſteria: id verò indoctorum eſt. *Omnia*, inquit Galenus, *quæ de numerorum virtute nugantur, tam facilè abſurda eſſe deprehendimus, ut mihi ſubinde mirari ſubeat Pythagoram illum tam ſapientem virum numeris tantum tribuiſſe.* Cauſam ergo quam in numeris conſtituunt, manifeſtè rejecit Galenus. Sequitur nunc cauſa quæ ponitur in occulto naturæ motu; quem Frichlinus & alij ad arcanam quampiam Sympathiam retulerunt. Hunc naturæ motum Hippocrates *de Morb. lib. 4.* & Galenus *de dieb. decret. lib. 3. cap. 8.* demonſtrārunt. Et quidem Galenus cauſas criſium ediſſerens, duûm eas fecit generum; ut alia ſit

1. Sententia.

2. Sententia.

ordinata, quam Lunæ motui assscribit: alia inordinata, quæ ex hac mundi materie proficiscitur. Vocavit inordinatas, quòd crisin, quæ ordinata debebat esse, & ad motum Lunæ accommodata, aliò revocent; eam vel accelerantes, vel retardantes. In hoc eodem causarum genere & medicum imperitum posuit, tum & ægrum ipsum & astantes; qui facilè designare quicquam possunt, quo crisis in ordinata fiat. Inter causas crisium inordinatas, licet optima sit illa, quæ accessionũ motui tertio quoquo die in morbis acutis evenientiũ tribuitur: tamen bonitate minimè par est illi quæ ordinata dicitur. Quare summum medici artificium hac in re potissimùm consistit, ut diligenter adnotato morbi acuti principio, simulq; & motu observato, id operam det sedulò, ne quid vel à se, vel ab ægro, vel ab astantibus committatur, quo morbus impediatur justo se tempore in crisin effundere; haud perinde esse ratus sive crisis in quartum incidat, sive in alium quemlibet, idq; vel in tertium anticipando, vel retardando in quintum. Quomodò peritus nauclerus maris æstum diligenter observans, huc modis omnibus incumbit, ut justo tempore, fervente jam Oceani affluxu, ac littora complente, in portum possit appellere, neq; imprudens navem naufragam vado illidat. Illa igitur crisis laudatissima erit, & cũ ægri certissima salute conjuncta, quæ præcedentibus haud obscuris pepasmi signis, non susq; deq; in dies impares, sed in ordinatos incidet, patentibus jam vijs, ac suppetente robore ad expellendum; præsertim si contingat, Lunâ eum Zodiaci locum tenente, qui ægrum

3. Sententia.

olim

olim nascentem temperato benignorum astrorum radio aspexerat: ac nunc etiam tempore crisios salutari convenientium siderum radio annuente. Rendus igitur meritò fuerit Frischlinus, qui sic unam crisios causam commendavit, ut alteram longè meliorem repudiârit: perinde ac si quis ita argentum prædicet, ut aurum aspernendum censeat. Fuit istius hominis ingenium ferax quidem sed & ferox, qui huic dogmati de crisibus, quod per se haud ita obscurum est, nescio quas tenebras conatus est offundere. Totus ferè in hoc fuit ut circuitum dierum decretoriorum referret ad motum accessionum, qui in morbis acutis tertio quoquo die contingit; quem quidem motum modò ex causa manifesta ab Hippocrate *de morb. lib. 4.* tradita asserit, modò ex arcana quadam sympathia; jamq; Galenum cum Hippocrate conjungit, jamq; rursum ab hoc illum divellit, ajens sui oblitum in Ægyptiacas delapsum esse observationes siderum: ut certè mihi quidem videatur, ad hunc vertumnum cohibendum atq; in ordinem cogendum, nihil posse fieri aptius, quàm si totam ferè circuituũ decretoriorum rationem à Galeno traditam, quanta potero brevitate, huc attexam.

Circuituũ decretoriorum ratio ex Galeno.

Galenus rationem traditurus dierum decretoriorũ, illa primo loco commemorat quæ de diebus decretorijs ipsa docet experientia. 1. Quòd non omnes similiter dies de morbis decernant. 2. Quòd circuitus septimani validissima sint virtute præditi. 3. post hos quaternarij. 4. quidã verò extra hos coincidant. 5. Quòd nec omnes septimanę invicẽ separentur, sed aliquæ ipsarum etiam conjungantur. 6. Insuper quòd

acutis

acutis morbis impari dierum numero: longis pari judicia maximâ ex parte accidant: Quæ quidem omnia ipsa experientia satis approbat. Iam si harum rerum sit reddenda ratio, ait Galenus eam reddi debere vel ab ordinato vel ab inordinato. Inordinatum vocat illud quod ex hac mundi materie proficiscitur: Ordinatum verò quod cœlestibus originem fert acceptam. NB. Cùm igitur dies verè decretorij maximè sint ordinati: consectaneum certè est, ut eorum ratio ab ordinato cœlestium motu dependeat; ac illæ certè crises sint longè optimæ, quæ causam agnoscunt ordinatam. Crisis quæ optima. Hæc Galenus præfatus, mox aliquot sequentibus capitibus admirandas Solis, ac Lunæ imprimis, deinde & aliorum astrorum vires commemorat, quas ferè omnes non ita pridem pertexui, in ipso tertiæ meæ propositionis vestibulo. His ita præmissis, tandem septimo capite rationem aggreditur reddendam dierum decretoriorum; hac methodo. 1. Ait circuituum alios dierum, alios verò mensium constare numero: hos ad Solem referri, illos verò ad Lunam. Ac ne quid videatur dicere novum: Hippocratis allegat testimonium, dicentis: morbos æstivos hyeme solvi, hyemales æstate. Summa omnis huc redit, Morbos Chronicos quos longos adeoq; & annales appellitat, judicari ad motum Solis: acutos verò ad motum Lunæ. Et sicut in mense quatuor sunt septimanæ decretoriæ: ita in anno esse quatuor tempora cardinalia & ipsa decretoria, Solis decursu annuo, tum & aliorum quorundam astrorum decretoriorum positu disterminata. Porrò ut septimana bifariam

riam secta diem exhibet indicatorium, pariterq; & inter indicatorium decretoriumq; intercidentes: ita etiam singula cardinalia anni tempora bifariam dissecta & ipsa constituant tempora quædam indicatoria, tum & intercidentia, singula suis peculiaribus astris distincta.

2. His præmissis, mox à morbis acutis exorsus, de efficiente circuituum decretoriorum causa sententiam suam disertis verbis proferens; ait: facultatem alienorum expultricem crisin in morbis efficere; atq; id quidem non susq; deq;, sed statis temporibus, nempe diebus quartanis septenarijsq;: non equidem quòd septimi vel quarti numerus crisis author sit, sed quòd Luna innovante & terrena immutante, motuum quoq; circuitus ad hos principes numeros venire contingat. Ideò inquam in ipsis quos dixi numeris tanquam stata alterationum tempora inveniri. Tu jam hîc pedem fige Lector, & diligenter mecum observa, quòd crisis concitetur in morbis acutis, id quidem deberi naturæ aut facultati expultrici: Quòd verò eadem non susq; deq; cieatur, sed die duntaxat vel quarto vel septimo, id deberi Lunæ. In hunc jam locum citanda atq; evocanda erit ipsa experientia stultorum magistra, simulq; congerenda omnia nuper citata authorum testimonia Hippocratis, Aristotelis, Galeni, Plinij, Lemnij & Fernelij de vi & efficacia Lunæ in corpora quælibet inferiora. Sed enim quia in solo nunc Galeno pertractando versamur: hujus intra limites subsistamus. Ne quis igitur, quòd Galenus ordinatos circuitus decretorios ad

In Crisibus quid Naturæ, quid Lunæ debeatur.

Lunam ceu ad causam ordinatam retulerit, nudam quandam existimet opinionem nullis rationibus suffultam: agè jam rationes videamus quibus ille hanc suam sententiam astruxerit. Primo loco authoritatem adduxit Hippocratis quam iterum atq; iterum subinde repetijt *cap. 7. 8. 9. & 12.* Vt mirari satis nequam istos sycophantas longè indoctissimos, qui dicere non erubescunt, Hippocratem circuitus decretorios ordinatos ad motum Lunæ non retulisse, neq; Galennm doctrinam hanc suam mutuatum esse ab Hippocrate sed ab Astrologis Ægyptijs. Post authoritatem Hippocratis rationem allegat non tam suam quàm & ipsam Hippocratis: Placet ipsa Galeni verba huc asscribere, quæ hæc sunt: *Novit hoc quoq; Hippocrates, sic in opere Prognostico inquiens. Hi ergo ex acutissimis morbis per quatuor in viginti ex additione perveniunt.* His subjungit, *verùm hujusmodi supputatio per integros dies nimirum fieri non potest: quippè cùm nec annus nec menses ipsi integris diebus numerentur. Vt igitur annus ad 365 dies particulam diei majorem quartâ adjectam habet: tum mensis* (de synodico æquali loquitur) *ad triginta dies absolvendos unius dimidium desiderat: sic & septimana sextâ maximè diei parte, ut septem integros habeat, indiget.* (Hoc vero loquitur de septimana periodica æquali) Videri poterat hæc dicere confusiùs, quippe mensem synodicum & periodicum commiscens: At considerare debes Lector, non aliorsum hæc dici quàm ad ostendendum quòd neq; annus neq; mensis neq; septimana integris diebus numerari possint. Posthæc verò de mense synodico

dico merum silentium, quæq; deinceps sequuntur omnia, vel ad mensem periodicum vel ad apparitionis utrumq; æqualem pertinent: in quorum medio mensis medicinalis consistit, sicut mox demonstrabo.

Omissis igitur ijs, quæ non sunt instituti nostri, ut demonstrem Galenum ordinatos circuitus decretorios retulisse ad Lunam ceu ad causam ordinatam: ajo accuratè & magna cum diligentia esse attendendum, Galenum duabus in rebus omnem Lunæ effectum posuisse: 1. in ipsis Zodiaci partibus quas Luna periodo sua percurrit universas spatio dierum 27. horarum 7. minutorum primorum 43 & secundotum 12: (pro quibus minutijs Galenus facilioris calculi ergô integram horam posuit, ut Mensis periodicus æqualis contineat dies 27 & horas 8. quæ sunt tertia unius diei pars: aut si malis ipsa Galeni verba huc apponi, *ut totus Lunaris circuitus septem & viginti diebus & adhuc tertiâ unius parte absolvatur*) 2. in ipsa Lunæ apparitione. Tribus enim ferè diebus quibus Luna in conjunctione cum Sole commoratur, quamquam vi minimè destitutam vel ipsa testatur minimum animal formica; tamen, ut Galeni verbis utar, *de aëre nihil decernit*. Hi igitur dies tres si subtrahantur à mense synodico æquali, qui dierum censetur ferè 29 & horarum 12: relinquentur dies 26 cum dimidio, mensem constituentes Lunæ apparitionis. Hoc tempus vocatur commune, quo nimirum Luna communiter lumine suo aërem

Mensis Periodicus æqualis.

Mensis apparitionis æqualis.

omnibus rebus sublunaribus communem afficit, atq; immutat: è diverso tempus periodicum appellatur proprium, quòd, sicut dixi non semel, singulæ Zodiaci partes alijs atq; alijs viribus præditæ sint, è quibus cùm Luna tum alia astra ac sidera vario implexu alia atq; alia corpora aliter aliterq; afficiunt.

Crises igitur & ordinatos circuitus decretorios quisquis ad amussim quàm exactissimè supputare volet; huc, id est, ad hæc duo omnem mentis aciem debet convertere, ut motum Lunæ observet & periodicum & apparitionis: tum verò adniti ut ex his utrisq; unum faciat. Adesdum Tyro, ne longis indoctorum circumferaris ambagibus, qua id via moliri debeas ac possis jam te docebo. Mensem periodicum cum mense apparitionis confer, facta minoris à majori subtractione, differentia relinquitur horarum 20: cujus dimidium vel addendum est mensi apparitionis vel demendum mensi periodico. Aut si magis tibi placet Calculus Galenicus: utrumq; tempus conjunctum bifariam seca. Quo facto medium emergit tempus dierum 26. & horarum 22, quod mensem tibi constituet Medicinalem: Id quod verbis tibi placet asscribere Galenicis. *Exactam*, inquit Galenus, *vel mixturam vel ablationem Deus tantùm novit. Quantum verò humanâ conjecturâ indipisci licet: præstat circuitum communem, medium inter utrasq; collocari. Cùm ergo apparitionis manifestæ & efficacis tempus sit dies vigesimus sextus & dimidius: signiferi verò circuitus expleant 27 dies, cum tertia unius parte: liquet medium ipsorum fore vigesimum sextum diem ad hæc dimidium & ter-*

Mensis Medicinalis.

& tertiam maximè & duodecimam unius diei dimidij partem. Siquidem, ubi utroq; tempore conjuncto dimidium acceperis: medium ipsum invenies. En tibi Tyro Mensem Medicinalem, quem si in computandis crisibus ac circuitibus decretorijs ordinatis sequaris, nihil equiquidem à scopo aberrabis. Quod, quo magis tibi gratificer, ac labore te sublevem, quamquam tuo id Marte ipsus præstare facilè possis, tamen exemplis ostendere placet. Agè igitur si Mensem Medicinalem diviseris per 4: videbis primum circuitum decretorium ordinatum exactè incidere in diei septimi horam decimam septimam & 30 minuta prima. Hunc primæ septimanæ numerum si multiplicaveris per 2: cadet secunda periodus exacta in diei decimi quarti horam undecimam. Quòd si tempus primi circuitus multiplicaveris per 3: tertiam periodum sic in finem vigesimi diei incidere deprehendes; ut exactè vigesimi primi horam quartam & 30 minuta prima attingat. Vnde utiq; rationem & causam liceat colligere. cùm & vigesimus & vigesimus primus inter decretorios reputentur; cur hôc tamen ille sit atq; habeatur fortior? Quia enim dies vigesimus exactam periodum propinquam sibi vindicat, quippe cui horæ illæ 4 & 30 propiores sint, quàm ut periodum illam in finem vigesimi primi possint traducere, (habet enim dies vigesimus de tertia periodo horas 19 & 30: dies verò vigesimus primus horas tantùm 4, 30) consentaneum certè fuerit ipsum vigesimum fortiorem constitui vigesimo primo: neq; posse diem vigesimum primum ad tertiam pertinere periodum, nisi ratione

horarum illarum quatuor, & minutorum primorum triginta: reliquâ ſui parte quòd octavo die ſit præſtantior, pari atq; impari dierum numero debetur. Poſtremò ſi idem tempus per 4 multiplices: certè quarta tranſacta periodus in horam cadet vigeſimam ſecundam diei vigeſimi ſeptimi. Quòd ſi ſingulos circuitus decretorios ſecueris medios; puncta exactè invenire indicatoria non fuerit difficile; ut neq; rationem videre, cur quidam ſive quaterniones ſive ſepterniones conjungantur, quidam verò ſeparentur; qua de re pulcherrimum Galeni locum vide *De dieb. decret. lib. 3. cap. 12.* Atq; hactenus quidem rationem circuituum decretoriorum ordinatorum ex ipſomet Galeno ad amuſsim & perſpicuè demonſtravi.

Criſes minùs laudatæ.

3. Iam verò cùm videamus complures criſes incidere neq; in quartanos neq; in ſeptenarios: cur id fiat, rationes ſibi reddendas eſſe putavit Galenus. Recenſuit autem duûm generum cauſas, 1. externas quæ ſunt Medicus imperitior, æger ipſe, famuli atq; aliæ, quæ propriè exteriora appellantur. 2. internas quæ ſunt Morbus, morbi cauſa, & acceſsiones. Quæ quidem omnes cauſæ & ſingulæ hoc efficere poſſunt, ut criſis, quæ ordinata debebat eſſe & ad motum Lunæ accommodata, fiat inordinata; id quod triplici ſimilitudine, pulcherrimâ certè & ad rem de quâ agitur illuſtrandam appoſitiſsima, declarat. Harum cauſarum omnium & ſingularum ſicut ratio facilè reddi poteſt: ita ſolarum acceſsionum rationem invenire, dicente Galeno, non eſt ſatis promptum; quam &

ipſe

ipse etiam Frischlinus aliquando in Hippocratis ratione, *de morb. lib. 4.* minimè acquiescens, ad arcanam aliquam sympathiam retulit. Sufficiet igitur ad rem institutam, hoc firmiter tenere, Lunam immutare terrena, & in septimanis potissimùm magnas parere mutationes; pòst in quaternionibus exiguas. Quia verò crisis accessione plurimùm indiget, quæ in morbis acutis tertio quoquo die evenit, aliqua de causa hactenus plusculum obscura: hinc fieri ut morbi acuti necessariò magis in diebus imparibus ad judicium tendant. Cùm ergo hac ratione tertius quintusq; & ipsi meritò decernant: non tamen hanc potentiam ex lunari circuitu sortitos esse perinde atq; septimum ac quartum, sed quòd ob violentam accessionem tertius crisin quarto die futuram prævertat.

NB. Septimus est decretorius ordinatus, nō quia impar sed ex lunari potestate.

Hoc jam uno veluti ictu omnia sive Frischlini sive Fuchsij cadunt non argumenta, quæ nulla certè attulerunt, sed nugamenta: quorum omnis labor in hoc fuit, ut causam illam ordinatam in motu Lunæ positam non elevare modò, sed proterere etiam ac de medio tollere possent. Coacervârunt igitur complures crisium causas, ut hanc unam negarent: perinde ac si dixissent leonem, equum, taurum &c. esse animalia; ut mox inferre possent, Ergo hominem non esse animal. Observabis igitur Lector non sic astruendas esse crisium causas inordinatas, ut propterea ordinata negetur: sed potius huc incumbendum esse ut quid tum illis tum huic propriè debeat acceptum ferri, accuratè distinguamus. Crisis certè complurib[us] de cau-

Frischlini studium.

Causa circuituum decretoriorum.

de causis fieri potest: at circuitus decretorius ordinatus, qui in dies incidit quartanos septenariosq;, non aliam propriè agnoscit causam, quàm ordinatum Lunæ motum ad calculum mensis medicinalis revocatum. Id quod Galenus demonstravit & authoritate & irrefragabili ratione Hippocratis. Quòd si circuitus decretorius sit attribuendus non huic causæ ordinatæ, sed sive impari dierum numero sive sympathiæ: dicant sane illi quâ tandem fronte diem decimum quartum inter decretorios numerent? Itaq; desinant sanè affectæ Frischlini id nobis probare quod minimè imus inficias. Scimus inquam, confitemur & non negamus, Naturam & facultatem expultricem maximè propriè crisios esse authorem: scimus morbi impetum: scimus noxiorum humorum substantiam, modum, qualitatem, copiam: scimus deniq; alias complures causas, quales sunt intempestivus medicamentorum usus, & perperam observata victus ratio, posse naturam stimulare ac proritare crisin: at enimverò ab his causis profecta crisis non necessariò in dies ordinatos incidit: ac si incidat fortè, non meherclè propriè incidit, sed per accidens: plurimùm verò alijs diebus susq; deq; & sine ordine contingit.

Nota.

Idem prorsus ajo de abditiore illa ac arcana dierum imparium sympathia à Frischlino inculcata, nimirum hanc quoq;, licet & crisin faciat & quidem nonnunquam in die ordinato, puta septimo: non tamen propterea statui debere causam vel ipsius crisios vel circuituum decretoriorum. Non posse eam statui causam circuituum decretoriorum demonstra-

monstratur evidentissimè exemplo dierum decimi quarti & vigesimi; qui certè non impares sunt sed pares, & tamen decretorij maximè ordinati. Septimus verò quòd maximè ordinatus sit, non propterea evenit quia est impar, alioqui & tertium & quintum ordinatos esse oporteret: sed propterea inquam quòd mensis medicinalis est tetragonus sicut dixi jam antea: ut paralogismum committant non causæ pro causa quicunque à septimo argumentantur ad impares. Eandem verò crisios causam propriè constitui posse negauit Galenus, sed crisios causam esse per accidens, concesit; quatenus nimirum accessiones facit, quæ ferè crisium individuæ sunt comites, & quarum appulsu crises concitantur. Harum accessionum causa sæpius quæsita fuit, quam quidem Hippocrates *de morb. lib. 4.* sat longa oratione tradidisse videtur; quòd quæcunque ingeruntur, ea biduum in corpore humano commorata, ferè tertio quoquo die rursum egerantur. Quid vero Galenus? Certè videtur illi hæc Hippocratis ratio non prorsus displicuisse, quando ait: *hunc motum accessionum & ab experientia testimonium habere, & ratione contemplantibus ejus causam non esse obscuram.* Hæsitat tamen non multo pòst, ubi inquit, *cur accessiones in morbis acutis diebus contingant imparibus, in morbis verò Chronicis diebus paribus: rationem invenire non esse satis promtum.* Itaque concludens, ait, nihil referre sive rationem sciamus sive ignoremus: modò experientia constet ita rem se habere. Hæc lectitans Frischlinus, utram in partem inclinare vellet, dubitavit, modò rationem approbans Hipprocatis, modò Nota.

sympathiam urgens arcanam. Elegerit sanè utrumlibet: neq; enim hoc vel tantillum ad rhombum facit. Sufficit abundè satis superq;, constare inter omnes, crisin ferè in accessione fieri, & accessionem in acutis contingere diebus imparibus: unde utique & hoc pariter consequetur, crises acutorum morborum ferè in dies impares incidere. Hinc docet Galenus & tertium & quintum nonnunquam morbos judicare. Illud jam igitur do Frischlino abditiorem illam, quæcunq; sit, sympathiam accessiones quidem facere, ac proinde & crises; non tamen propriè, sed quòd crises ferè non sint sine accessionibus. At enimverò qualesnam illę sint crises etiam atq; etiam est considerandum. Equidem fateor aliquanto meliores esse illis quæ vel à medico imperito, vel ab astantibus nonnunquam concitantur: at longè tamen illaudatiores sunt illis quæ à causa cientur ordinata, nempe cœlesti. Vt si evicerit Frischlinus, non omnes crises incidere in quartanos & septenarios: illud tamen necesse habuerit fateri, eas crises esse longè optimas quę in hos dies cadunt. Atq; hactenus quidem Frischlino respondi, qui licet astrorũ egregiè peritus fuerit: non huc tamen admittendus erat authoritatis, ut tantæ luci tenebras offunderet, ac Galenum nobis ceu clavam Herculeam de manibus excuteret. Cæterum videre nequeo, quomodò illa cohæreant, quòd idem Frischlinus uno loco eam dierum judicatoriorum rationem Hippocratis, quam Galeni observatio comprobârit, vehementer commendet: & mox alio iterum loco dicat Galenum sui oblitum ad Lunæ observationes Ægyptiacas esse delapsum; id quòd certè

Crisis neque optima neque pessima.

Frischlinus sibi contradicit.

certè nemo unquam credet qui vel à limine ipsum Galenum salutârit. Quin unam eandemq; in hac doctrina & Hippocratis & Galeni fuisse sententiam, adeoq; Galenum sua ex Hippocrate desumpsisse; ipsissimis disertis atq; expressis Galeni verbis nuper docui.

Ejusdem farinę est & illud, quòd accessionum in morbis acutis causam constituit modò arcanam sympathiam, modò rursum manifestissimam illam rationem ab Hipocrate traditam *de Morb. l. 4.* Si enim in ratione illa manifesta acquievit: obsecro quid tandem causæ fuit, ut ad sympathiam recurrerit arcanam? Rursus si arcana sympathia verior illi causa visa est: cur ad priorem causam manifestā relapsus est? An verò ita ludere in re conveniebat seria? Tantùm hæc refero, ut Frischlini fluctuantis hæsitantisq; arguam inconstantiam, modò huc modò illuc delabentis: non quòd de vera accessionū causa valde sim sollicitus. Certè manum non vorterim, sive ab arcana causa sivè à manifesta oriantur: quòd unum hoc abundè sufficiat, crises quæ à causa inordinata cientur, bonitate longè subsidere infra illas crises quæ à causa ordinata nempe cœlesti, ad dies ordinatos nempe quartanos septenariosque revocantur: ac debere proinde Medicum omni cura huc adniti, ut motum Lunæ in morborum acutorum crisibus quàm accuratissimè observet: Solis verò motum in morbis chronicis: & præceptum & exemplum quum Hippocratis tum Galeni sequutus.

Cœterum & hoc obiter notabis Lector, perperam à Frischlino & Fuchsio pro motu Lunæ positum esse *influxum siderum*. Licet enim

Galenus & dixerit & docuerit circuitus decretorios ordinatos in morbis acutis ad motum Lunæ, ceu ad causam ordinatam esse referendos: nusquam tamen dixit referendos esse ad siderum influxum, qui certè nihil minus est quàm ordinatus.

Nunc in Terapeutica nostra progrediamur. Consideratis igitur his quæ dixi diligenter omnibus: ad curationis scopos constituendos accingimur, sive morbi sint simplices, ijq; vel unus vel plures eodem in corpore disjuncti, sive impliciti compositivé; in quibus certè curandis non perinde fuerit quid primo, quid secundo, quid tertio agas loco; sed methodo erit quam maximè opus atque ea quidem quàm accuratissima. Huic rei, quia & fusior est & ad institutum nostrum parum pertinens, non immorabor; si quis tamen pleniùs de hac eruditi cupiet; cùm alios viderit, tum verò doctissimum Fernelium *Meth. med lib. 1. cap. 5.* & Weckerum *pract. general. lib. 2. cap. 18. 19. 20. 21.*

Efficiens. Restat sola causa Efficiens, quâ præstitutos curationis scopos assequi Therapeutice nititur. Efficiens princeps est dator & conservator humanæ salutis Deus: quare meritò omnis curatio à divini nominis invocatione auspicanda, sicut docet divinus ille sapiens *Eccles. 38.* ut jam de Hippocrate nihil dicam, qui licet Ethnicus & à veri Dei cognitione alienus: hoc tamen principium tenuit, ne quam morborum curationem moliretur nisi invocato Æsculapio, quem & in juramento suo testem citat. Proxima à Deo est morborum medicatrix Natura: cujus se servum esse Medicus meminisse debet non Domi-

Dominum. Hanc igitur observare debet, illiq; inservire, non illam cogere; non illam ab opere avocare, sed in opere juvare; non à via abducere, sed in via promovere & sequi; vires roborando, vias seu meatus expediendo, materiam morbificam parando expurgandoq;, non per vim sed magna adhibita prudentia & consilio. Non secus atq; ad clavum positus gubernator, qui non ventos cogit, sed prudenter & ventis vela accommodat & navem fluctibus. Naturæ succedit Medicus artis suæ peritus, non histrio, non rasor, non anus: & compescendi me herclè erant à Magistratibus qui passim tam impunè de hominum ludunt corio. Sed neq; satis fuerit, dicente magno Hippocrate, si medicus suum faciat officium; debet suum facere & ægrotus, debent & astantes; inter quos ægroti familiares quàm maximè intelliguntur, qui nihil committere debent, quod institutæ curationis cursum possit vel remorari vel impedire. Cæterum Medico Pharmacopœum adiungo & Cheirurgum: qui operas sibi à medico injunctas exequantur. Detestabilis est quorundam Cheirurgorum indocta arrogantia, qui medici ab ore pendere erubescunt, ne nomen quidem suum intelligentes: Execrabilis rursus est quorundam medicorum ignava imperitia, qui Doctores dici volunt Medicinæ, cujus partem longè nobilissimam, Cheirurgiam dico, vel primoribus labris nunquam degustarunt. Causæ instrumentales, quibus Terapeutice omnem curationem exequitur, sunt tres: Victus ratio, Pharmacia & Cheirurgia: de quibus nunc ordine dicendum. Instrumentalis.

DE DIAETA SEV VICTVS ratione.

Omnis victus ratio in recto rerum non naturalium usu consistit, quas nuper sex enumeravimus. Harum prima est aër, quem tribus modis contaminari posse diximus, 1. à causis endemijs lacuum, stagnorum, paludum aut aliorum locorum; sicut Hippocrates luculenter demonstravit *lib. de aëre locis & aquis*, qui totus huc pertinet. 2. à causis epidemijs simplicibus, nempe tempestatum. 3. à causis epidemijs pestilentibus, quæ à pernicioſa siderum permistione excernuntur. Perspectô igitur diligenter quonam labis genere aër infectus sit: debet illi medicus convenienti medicamine corrigendo incumbere, ac sic eum castigare: ut non modò morbum non faciat, sed & cum morbo pugnare idoneus reddatur. Quomodo Iachenum & Hippocratem aliosq; legimus accensis ignibus pestem depulisse: quam quidem ad rem quantum momenti diligens siderum observatio conferat, nemo tam cœcus est qui non palam videre possit. Idem de alimento dico, nam sic nonnunquam aquæ, quibus regiones irrigantur, à causa cælesti contaminantur, ac pabula inficiuntur: ut quæcunque res naturales, sive animantia aquatilia pariter ac terrestria, sive stirpes, suum ab illis alimentum petunt, gravi pernicie afficiantur: id quod nuper testatum feci hisce versibus Vergilianis.

Hic

Hîc quondam morbo cœli, miseranda coorta est
Tempestas, totoq; autumni incanduit æstu;
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,
Corrupitq; lacus, infecit pabula tabo.

Quin etiam in exercitio præscribendo magna est habenda cœli atq; astrorum ratio: sive deambulatio præcipitur, sive venatio, sive equitatio aut simile quicquam operis; non enim id convenerit exercitij sub caniculæ ardoribus, quod tum ex usu est quando Sol à nobis digressus, ac indirectior nobis factus, cum ijs oritur sideribus quæ gelu atque horridæ tempestatis fœcunda sunt. Sed & in vigilijs & somno imperandis spectanda sunt astra. Contigit mihi paucis antè annis Stockholmiæ, quæ regni Sueciæ est metropolis, æger quidem curandus, qui de magno capitis torpore conquerebatur; adhibitis multis frustra remedijs, tandem quodam tempore subijt mihi accuratiùs contemplari locum, quo lectum suum haberet collocatum. Deprehendi situm versus meridiem, ubi fenestra quædam erat vitrea, per quam Luna in ipsum dormientis caput lumen suũ è directo quàm expeditissimè effundere posset. Memor igitur & Galeni & Plinij dicentium, Lunam consopitis torporem in caput revocare: mox jussi ut lectum ex isto loco in alium commodiorem non procul à foco disitum amolirentur ac transportarent; id quod factum, ac æger quidem ab isto temporis puncto paulatim convaluit, fuitque integræ valetudini restitutus. Cæterum in excrementis vel retinendis vel excernendis, an quisquam est tam stupidus qui siderum rationem habenda neget? Historia.

Quis

Quis enim nesciat tum in juvenculis efflorescere menses, quando Luna à celebratâ cum Sole synodo recens emergit? ac circa id quidem tempus, si usus postulârit, provocandos esse? Quis non censeat Venerem depopulari cerebrum ac lædere tum maximè, quando id, Luna ad conjunctionem vergente, est imbecillius? Alvi solutioni quatenus ad Diæteticam pertinet nullum quidem non tempus commodum erit: at non etiam validiori purgationi, de qua in Pharmacia dicam. Restant animi affectus, de
Lib. 1. c. 16 quibus Lemnij sententiam repetere placet. *Quanquam*, inquit, *siderum aspectus nemini ad actionem necessitatem imponant: eam tamen vim in promovendis affectibus obtinent, ut homines obluctante etiam invitaq; ratione, tanquam tempestate quadam ad perturbationum scopulos illidantur.* Num quis igitur negabit ægrum ad affectus commoderandos, de intemperatis siderum aspectibus, si qui inciderint, à medico subinde commonefaciendum esse?

DE PHARMACIA.

Alterum Therapeutices instrumentum est Pharmacia. In præscribendo pharmaco diligenter per seriem indicationum decurrendum est, quæ ferè sedecim numerantur. 1. affectus præter naturam. 2. ægri temperamentum. 3. pars affecta. 4. vires ægri. 5. aër. 6. ætas. 7. consuetudo. 8. ἰδιοσυγκρασία, hoc est, formalis quædam cujusq; naturæ proprietas. 9. Sexus. 10. vitæ genus. 11. Morbi motus. 12. quatuor morbi tempora. 13. paroxysmus. 14. ordo functionum naturalium. 15. Phar-

15. Pharmacorum seu Remediorum præparandorum ratio. 16. Influxus siderum. Quarum quidem indicationum catologum suppeditare mihi alicujus medicamenti præscriptionem meditanti solent hi versiculi, quos memoriæ juvandæ causa concinnavi.

Affectus, qui causam, morbum & symptoma claudit. 1.
Temperies ægri. Pars ægro in corpore læsa. 2. 3.
Vires. aer. & ætas. consuetudoq;. & ipsa 4. 5. 6. 7.
Natura. & Sexus. vitæ genus. hinc quoq; motus 8. 9. 10. 11.
Morbi. at q; hujus bis duo tempora. vult q; notari 12.
Ipse paroxysmus. vult ordo. pharmacum. & astra. 13. 14. 15. 16.

Non est dubium quin primam considerationem jure quodam suo ipsus sibi vindicet Affectus præter naturam. Aliquando tam sunt sæva & furibunda symptomata, ut vel sola omnem medendi operam ad se rapiant: huc tamen omnis incumbere debet Medici cura & labor, ut medicamentum præcipuè ad morbum ipsum tum & morbi causam debellandam dirigat. Cùm autem idem morbus incidat in homines diversi temperamenti: quis obsecro tam est stultus, qui opinetur idem prorsus medicamentum posse diversis convenire, licèt uno eodemq; morbo laborantibus? Deploranda est multorum cœca stupiditas in delicijs habentium ac circumferentium nescio quæ scedographa, quæ indifferenter omnibus ceu cothurnos quosdam aptant. Si quisquam conqueratur de hoc vel illo affectu: mox audias qui dicant se habere secretius quoddam *Recipe*, acceptum à primario quopiam ac magni no-

minis viro, nonnunquam vel à rege etiam, aut magno principe, aut duce, qui eo quàm felicissimè & magno cum fructu uti sit solitus. Ad hos proximè accedunt quidam Medicinæ doctorculi, qui medicamenta non ad suum cujusq; ægri temperamentum accommodant, sed formulas ex authoribus petunt ac describunt: digni meherculè qui canes & porcos curandos suscipiant potiùs quàm homines. Iam verò & pars affecta magnam sui curam haberi postulat, ut in urinæ difficultate, cantharides ritè præparatas licèt & affectus & ægri temperamentum admittere fortè possint: vesica tamen renuit, exulcerationem verita. Eadem indicatio docet remedijs illa addere, quæ parti affectæ sacra, vehiculi instar eorundem vim istuc deferant. Vires ægri quid valeant & quid ferre recusent, an quisquam est tam vecors qui neget dispiciendum? Quintam indicationem esse ab aëre dixi; neq; enim eadem conveniunt medicamenta aëre calido quæ frigido, eadem æstate quæ hyeme. De ætate, tum & de sexu, nulli potest esse dubium, quin in præscribendo medicamento aliud atq; aliud decernant; id quod suo olim periculo didicit Cato ille Romanus, & uxorem & filiam interficiens illo pharmaco, quo ipsus fuerat usus non infeliciter. Aliquid dandum esse consvetudini dixit jam olim Hippocrates; certè multum retulerit, ille qui hausturus est pharmacum, sitné medicamentis sumendis assvetus nec ne? Vndè olim nulli exhibitus fuit elleborus, qui non antea sustinendæ vomitioni esset assvetus. Formalis cujusq; naturæ proprietas haud segniter est indaganda; quòd alios

alijs

alijs à rebus lædi, alios rursum alijs delectari videamus. Casiam licet mite medicamentum tamen quædam naturæ non ferunt; alij catapotia aversantur, qui potiones non fastidiunt; alij contrà has renuentes, illa expetunt. Imprudens certè sit qui abstemio ex vino propinare velit pharmacum; aut ex lacte, illi qui toto pectore à lacte abhorret. Iam verò & ægri vitæ institutum in consilium erit adhibendum; alia fabri est ratio, qui perpetuò ad ignem calescit: alia piscatoris, qui horridis expositus tempestatibus crebriore frigore rigescit. Aliter secum agi postulat ille qui in otio; aliter qui in negotio vitam degit. Quid jam ego de morbi vel celeriore vel tardiore motu? An quisquam tam possit esse rerum imprudens, ut non alium in hoc atq; illo medicandi exigat modum? Dixit Hippocrates convenire, ut concocta medicemur ac moveamus non cruda, neq; in principio, modò non turgeant: plurima verò non turgere. Rectissimè olim constitutum fuit ab Ægyptijs, ut si quis medicus ægroto alicui intra quatriduum in morbo acuto medicamentum exhibuisset purgans: suo id feciisset periculo. Deum immortalem, quò nostri tandem seculi processit temeritas dicam an calamitas! quando jam

Quisquis se medicum fingit; idiota, profanus,
Iudæus, monachus, histrio, rasor, anus.

Sed quorsum ego, rei indignitate, quam deplorare quidem possum, emendare non possum, extra oleas abreptus? Hoc igitur ajo, aliter esse agendum in morbis acutis; aliter in diuturnioribus. In his

enim tardior est concoctio & per gradus molienda, tum & materia morbifica expurganda: In illis verò jam jam expectanda & leniter juvanda crisis. Vt enim nautæ in maxima tempestate, à laxandis velis, & navem fluctibus liberiùs committendo, anxiè cavent: ita omnia hîc magna cum sollicitudine agenda, & hoc cavendum quàm maximè, ne humores crudi temerè cocitati ipsam secum rapientes animam foras sese indomita vi proturbent. Sequitur indicatio duodecima à quatuor morbi temporibus, principio, progressu, vigore seu statu, & declinatione; quæ quidem singula sua requirunt peculiaria remedia. Exempli gratiâ. Inflammationem initiò leniter retundimus, hoc caventes ne vel habenas illi laxemus, vel scirrum inducamus, causam antecedentem derivamus revellimusq;, simulq; & dolores mulcemus; idem & in progressu continuamus. Vbi verò illa vigorem suum fuerit assecuta: mox ad digestionem convertimur, cui magis magisq; insistimus, tantisper dum causam omnem continentem exhauserimus: tandem roboramus partem affectam, atq; ægrum lætiore victu reficimus. Indicatio à paroxysmis docet, ne vel cibum, vel medicamentum purgans ipso paroxysmi tempore exhibeamus, aut alioqui magno aliquo remedio naturam fatigemus. Dici nequit quantum hîc peccetur, præsertim à mulierculis, quæ tum oblato cibo ægros enecant, quando soli naturæ erant relinquendi: quasi verò non satis sit naturæ oneris morbum debellare, nisi & ad cibū conficiendum avocetur. Imponit misellis illud, quod distinguere nequeant imbecillitatem,

tem, quæ à vi morbi est, ab illa quæ est ab exhausto; quarum hæc cibum quidem requirit, illa verò fastidit ac respuit. Ordo functionum naturalium indicat ægris præcipiendum esse, ut quàm queant minimùm ab hoc digrediantur: sive quid esùri aut bituri, sive ad somnum se composituri. Etenim sani interdiu vigilant, noctu verò somno indulgent: id quod & ægris imitandum: nisi qua fortè partium principum inflammatio diversum suaserit. Idem de statis temporibus ciborum statuendum erit. Ac si quod pharmacum propinandum sit ægro; id eâ offerarur horâ, quæ tempus prandij neq; acceleret, neq; differat. Quo enim propiùs ad solitum naturæ ordinem sese æger accommodabit: hoc & certiùs de recuperanda valetudine sperabit. Ipsa per sese etiam medicamenta indicationem suppeditant, quæ ut sunt varia, ita variam sui præparationem postulant; hinc ablutiones, infusiones, decoctiones, frictiones, torrefactiones, extinctiones, atq; aliæ medicamentorum præparandorum rationes, quibus recensendis non immoror. Postremam indicationem cælum & astra sibi vindicant. Tautologiæ crimen, quoad ejus fieri potest, oratori fugiendum esse qui ignoret est nemo. Vt igitur quàm brevissimè quid momenti hæc indicatio habeat, expediam; ajo in medendi ratione medicum astris observandis intentum esse, oportere, his de causis. 1. ut syzygias corporis curandi natalitias cognitas habeat, sciatq; quinam ferè morbi salutares & quinam calamitosi huic futuri sint, id quod ex Galeno nuper evidentissimè demonstravi. 2. ut quem Zodiaci locum morbo

nascente Luna tenuerit, nosse possit. 3. ut quæ siderum permistiones quos morbos quibus temperamentis ac naturis ingenerent, non oscitanter attendat. 4. ut quid virium quodlibet simplex cœlitùs sit sortitum intelligat. 4. ne fine frustretur curandi, ut quid fieri conveniat, ne vires illæ alienâ de causa vel depraventur, vel minuantur, vel disperdantur, etiam atq; etiam consideret. Priora quatuor puto jam satis intellecta ex ijs, quæ nuper & in Physiologia & in Pathologia differui: hujus certè loci fuerit scrutari quintum. Quotiescunq; igitur in aliquo simplici non illas deprehendimus vires, quas illi à veteribus assignatas comperimus: mox hæc convenit ut nobiscum reputemus. 1. Æquinoctiorum præcessionem, aut, si malis, octavæ spheræ motum: qui quin aliquid in rerum natura mutârit ego quidem non dubito. 2. cultorum socordiam, quam Lemnius exaggerat. 3. non observatū vel seminandi, vel decerpendi aut effodiendi, vel præparandi, vel deniq; utendi tempus. Exempli gratiâ. Ariamidis herbæ contactu, ligna oleo prius peructa, ilico accenduntur: quando vero? certè non nisi decerpta fuerit tum quando Sol signum occupat Leonis. Viscum quercinum morbo comitiali propellendo quod quidam experiantur medicamentum parum efficax, cedò quid tandem causæ est? quia inquam eum non collegerunt Iove Cancri signum tenente. Asplenium fœminas infœcundas reddere scripsit quidem Dioscorides: at verò tum demum si effodiatur Lunâ suam cum Sole synodum celebrante. Miramur hodie, ecquid causæ sit, quamobrem

cancri

cancri adversus rabidi canis morsum non tam præsente vi polleant atq; olim? causam scire vis? eccam tibi, Quia non illos cum Æschrione Galeni præceptore vase exceptos æneo urimus, Lunâ decimaoctavâ, postquam Sirius cum Sole in Leonis signo decurrente ortus est. Hederæ radices id quidem obtinent virium, ut varices in cruribus persanent: sed hoc debet observari ut affectio illis circumdetur non nisi Lunâ aquarium peragrante. Pleni ejusmodi observationibus sunt libri veterum, quos hodie strenuè rident illi: quicunq; holoserico pallio pileoq; potius placere student adeoq; admirationi esse rudi plebeculæ, quàm intus solida rerum naturalium cognitione nitere, ac operam suam probare doctis. Referri huc debet tota Hermetis Trismegisti Iatromathematica, sed cum judicio tamen: neq; enim aliter Astrologiam defendimus, quàm quatenus & rationibus physicis & gravissimorum authorum observationibus, procul omni superstitione, nititur: id quod in ipso hujus orationis nostræ titulo monuimus; qui vel solus opinor tueri nos adversus quorundam nasutulorum calumnias poterit. Possem indicationem hanc innumeris veterum illustrare exemplis, quæ forsan aliàs uberiùs dabo: nunc, quia alioqui plus justô prolixus fui, dabis veniam Lector si ad finem properare satagam.

DE CHEIRVRGIA.

Cheirurgiam hîc ad amusim pertractare universam, longũ certè foret, & procul extra oleas instituti mei:

mei: quippe qui duntaxat in hoc sum, ut conjugium Medicinæ atq; Astronomiæ demonstrem. Nulla de hominibus uspiam gens est, apud quam ratus non sit hic Aphorismus; non esse venam secandam eo in membro, in quo præsens Luna decurrit. Videmus sæpenumerò homines concidere vel levissimo vulnere, quum à Luna tum alijs ab astris pernicioso implexu permistis, lethali reddito. E diverso alios licet gtavissimè sauciatos, tamen consanescere, felici annuente siderum aspectu. Quis tam demens sit, qui vel oculorum suffusiones amoliri, vel membrorum quodpiam resecare instituat crescente Lunâ? quòd, si qua accidat inflammatio, hæc cum crescente Luna invalescens, ægrum ferè interimere soleat; refractaria adversus omnem remediorum vim insurgens, eamq; contemnens. Quando hæc dico, non hoc ago, ut hanc legem aliquando violandam, negem; Scio enim occasionem esse præcipitem, sed quæ magnam Medici requirat prudentiam, præsertim in morbis acutis: ut non immeritò illum laudârit Galenus medicum, qui quinquagenarius in cephalalgia vel noctu venam sibi inciderit. Sidera igitur in adhibendis præsidijs cheirurgicis observanda præcipio quidem: sed ut simul attentum esse velim medicum in occasionem præsentem.

Lib. 12. Method. Thera.

De cheirurgia impræsentiarum plura non dicam; nunc usum Astronomiæ & in Therapeutica Medicinæ parte demonstraturus.

DE

DE VSV ASTRONOMIAE IN THERAPEUTICA MEDICINAE PARTE.

1. Causa morbi sæpe ex motu Lunæ cognito invenitur: id quod docui expressissimis Galeni, Plinij, Lemnij & Fernelij testimonijs. Galenus dicit morbos esse periculi plenos, qui incidunt Lunâ per infausta signa natalitia, tum & per eorundem loca diametra & tetragona gradiente. Plinius inquit, & suffragatur experientia, alios alijs affici membris statis Lunæ temporibus, vitiaq; in oculis cum Luna increscere & decrescere. Lemnius attestatur Lunam peculiari vi per singula humani corporis membra volui, & nonnunquam vulnera licet levia tamen lethalia efficere; quod ipsum & alij intemperati siderum aspectus præstare possunt. Itaque ægri thema natalitium magnum habere usum non in Physiologia modò & Pathologia, sed etiam in Therapeutica adstruo; & ratione fretus, & experientia, & denique ipsius Galeni authoritate. Vt autem in morbis præcavendis thema natalitium cum themate revolutionis quotannis erecto diligenter est conferendum: ita in morbis curandis thema accedere debet cujusq; morbi nascentis: observare medicus ut possit num quæ loca aphetica thematis natalitij Luna quadratis morbi temporibus attingat? Itemq; num qua pernicioſa aut intemperata siderum permistio in quadrata, hoc est, decretoria morbi tempora incidat?

2. Morborum occultorum cognitionem omnem

à cœlo dependere, nemo vel ignorare poterit, vel negare audebit, qui rationes huic rei probandæ nuper adductas diligenter scrutabitur.

3. Symptomata quædam ea se produnt, quæ ad causas elementares referri nequeant: ut mox erudito medico subeat cùm ad præsentis tum ad præteritorum annorum cœli constitutiones contemplandas recurrere, si morbi sint epidemici: Quomodo hoc anno cruciatus membrorum epidemicos cum astrictione pectoris & spirandi difficultate conjunctos, mirari desinet: quisquis quatuor præteriti anni ecclipses accuratiùs considerabit. Sin verò morbi dispersi fuerint ac suus cuique peculiaris: & symptomata eorum morum, qui cœleste quid arguant: Lunam spectabit Medicus per loca natalitia decurrentem, & quæ siderum permistiones in quibusq; quadratis, oppositisque morbi temporibus coinciderint, circumspiciet.

4. Circuitus decretorius ordinatus aliunde supputari nequit quàm à motu Lunæ; idq; medicinali mense per 4. divisio. Sicut abundè ostendi suo in loco.

5. Sitne crisis salutaris futura an verò calamitosa: quanquam aliunde etiam colligatur: tamen & ab astris discendum esse signis minimè ambiguis docuit Galenus. Certè decet Medicum eruditum nihil omittere eorum quæ ad hanc rem ullo modo pertinent; nedum ut perfunctoriè quibusdam in observatiunculis acquiescens, hæc tanti momenti signa debeat contemnere. Dixit, inquam, Galenus, & verum dixisse attestatur ipsa stultorum magi-

magistra experientia, eos morbos acutos ferè calamitosos esse: quicunque incidunt Luna decurrente eo in signo, unde nascentem ægrum intemperata siderum permistio aspexit, aut in ejusdem signi loco sive tetragono sive diametro. Nemo autem tam est stupidus, qui ignorare possit quatuor circuitus septimanos incidere in loca Zodiaci tetragona ab initio morbi supputata, vel in ipsum diametrum eidem initio oppositum; sicut ibidem Galenus edisserit. Adde si tempore crisios aspectus coincidat morbi suffragator, ac ipsi Naturæ adversarius: jam vix fieri posse quin de ægri vita actum sit & conclamatum. Hæc nemo negare potest, nisi aut indoctissimus aut certè ambitiosissimus, qui novus author nova serendo dogmata nominis sibi acquirere satagat immortalitem: perinde atque ille olim, qui, referente Gellio, templum accendens magnæ Ephesiorum Dianæ, simul unà in medias flammas se præcipitem dabat. Herostratus.

6. Quàm nihil agant, quicunque victus rationem præscribere instituunt procul astrorum consideratione, paulò ante dixi.

7. In Pharmacia administranda, docet Astronomia non tantùm quo tempore quodq; simplex vel seminari vel plantari, vel colligi debeat; sed insuper etiam quomodo & quando præparari conveniat, & quo tempore in usum medicum trahendum atque exhibendum sit.

8. In adhibendis præsidijs cheirurgicis cùm alia astra ac sidera, tum verò Lunam accuratè observandam esse etiam vulgò norunt.

Ex omnibus quæ hactenus disserui jam liquidò constare arbitror: frustra laborare, ac funiculum, quod ajunt, ex arena nectere: adeoq; canes in balneo meritissimè dicendos; quin imò ceu fucos procul à Galeni schola abigendos esse omnes illos, quicunque procul astrorum consideratione, Medicinam faciunt; ut non modò asseruisse sed astruxisse etiam gravissimis rationibus nunc mihi videar Astronomiam cum Arte Medica necessariò esse conjungendam. Non sum nescius plurima à compluribus contra hanc sententiam objici, præsertim à Frischlino: at quàm illa sint vana & futilia, paulo pòst demonstraturum me confido. Dabis veniam Lector, quòd scribenti materia sub manu crescens intra metas justæ orationis coërceri nolit: hoc tamen agam quantum potero, ne methodum violem oratoriam. Itaque propositionibus jam meis, sicut opinor quidem, abundè confirmatis: ordo tandem postulat, ut oggannientium objecta diluam.

CON-

CONFVTATIO.

CONtra artem Medicam tria ferè objectari solent. 1. Suum cuique à DEO est præstitutum vivendi tempus: Ergò frustra est Medicina. 2. Natura medicatrix curat morbos: Ergo nihil præstat Medicus. 3. Cato Romanus postquam temerario medicamentorum usu & uxorem & filiam de medio sustulisset, medicinam est execratus: Plinius multis in locis exaggerat seplasiariorum fraudulentam avaritiam, aliaq; flagitia circa Medicinam administrandam commissa: Ergo ipsa ars Medica meritò damnanda est. Tu quisquis es Lector, si his nugis refutandis insistam: dic annon tibi aures obtundam? Quisq; sibi habet præstitutum vitæ terminum; Ergo non debet uti medijs, quæ Deus ordidinavit ad hunc terminum consequendum. Si hoc valet argumentum: cedò cur non eâdem ratione & artem pistoriam damnant & sutoriam & sarcinatoriam? cur potu sese isti ingurgitant lurcones? cur tam avidè vorant helluones? cur sua pariter & patria abliguriunt bona? At verò Natura medicatur morbos: Ergo vana est omnis Medici opera. Perinde ac si dicant, Homo est animal: Ergo bos non est animal. Apage sis in malam rem cum id genus argumentis. Sanè morborum medicatrix Natura quin primas sibi in quolibet morbo curando vindicet non est dubium; at verò hujus servus

est medicus, qui hanc Dominam observans, noctes & dies adminicula conquirit, quibus freta Natura morbum profliget & citius & tutius & jucundius. Iam verò illud quòd propter abusum tollere conantur ipsum Medicinæ usum: quis tandem ipsis concesserit? Tyranni imperio abutuntur, temulenti vino: Ergone & imperia tollemus, & moderatum vini usum? Ridenda potiùs sunt exsibilandaque ejusmodi argumentula quàm diluenda.

Citò tutò jucundè.

Placet huc attexere quid objectum mihi aliquando fuerit à quodam Iurisperito, Cùm Medici salutem sæpenumero ægris promittant neq; præstent tamen: duorum alterum ajebat videri consectaneum; nempe aut ipsa artis Medicæ theoremata per se incerta esse, aut medicos plerosq; artem suam non sat studuisse. Respondebam 1. cùm sors humanæ vitæ sit fragilis, adeò ut omnibus divinitus constitutũ sit semel mori, neq; tam firma quispiam sit valetudine qui lucẽ crastinã sibi polliceri vel possit vel debeat; non posse excusari temeritatis quicunq; medici ægris salutem promittunt absolutè. 2. ac ne illud quidem negabam, reperiri complures, qui artem quàm profiterentur quandoq; non satis callerent: vitium certè non minus frequens apud Iurisperitos quàm Medicos. 3. Ex salute autem non præstita ægris, ut inferret ipsorum artis Medicę theorematum incertitudinem: id verò non concedebam: quòd iniquum sit causam, quæ in solo consistit artis Subjecto nempe humano corpore, ipsi arti adscribere. Cùm enim corpus ægrum in horas subinde mutetur, neq; eodem in statu perseveret; quis non videat Medicum opor-

oportere ut plurimum & recuperandæ valetudinis hærere incertum, & instituta medendi viam subinde mutare? Quomodo peritus Nauclerus varia æquoris tempestate huc illuc jactatus, non uno tramite iter suum potest conficere, neq; de conservanda navi omnino certus esse; artis tamen suæ theoremata & præcepta inter spem & metum secutus, huc totis viribus incumbit, ut in præfixum portum appellere tandem possit. Quòd si qua interim maris tempestas adversa navem sive vado, sive rupi, sive scopulo alicui violenter atque impetuosè illidat: hinccine quis inferat, Ergo nullam esse theorematum artis navigandi certitudinem? nemo, sat scio, tam est communis sensus inops, cui hoc placeat arguendi genus. Atqui par ratio est humani corporis, in quo variæ exurgentes symptomatum tempestates nonnunquam sic ægrum miris modis jactant, ut licet medicus artis theoremata secutus modò hùc modò illuc collimet: tamen corpus morbidum ceu navem naufragā in sanitatis portū dirigere nequeat.

Vltimo tandem loco retorquebam argumentum. Quærebam quî fiat, quòd quarumcunque causarum suscipiunt patrocinium luriſperiti; de his victoriam non reportent; præsertim cùm causa subjecta non sit res mutabilis perinde atque corpus humanum, neque tàm certò partem causâ cadere oporteat, quàm ægrum vitâ decedere? Hîc ille effugia captare, respondere & dicere, 1. Si qua pars causâ cadat id fieri propterea, quòd ab initio causa non fuerit ad amussim narrata. Ridiculum sanè nullam unquam causam rectè ab initio

initio narrari. 3. Iudicem vel imperitum vel injustum fuisse. Et hoc absurdum, nullum unquam reperiri judicem & peritum & justum. Agè igitur inquam ego statuamus nonnunquam saltem causam utrinque fuisse rectè narratam, disceptatamque sub judice perito simul & justo: quid consequetur? Certè illud quidem, alterum Advocatorum aut jura non satis studuisse: aut turpis lucri gratiâ injustæ causæ suscepisse patrocinium: aut denique ipsa juris theoremata, hoc est, leges (quod nefas est credere) esse incertas. Eant nunc sanè & vel medicorum imperitiam deinceps crepent, vel artis Medicæ theorematum incertitudinem.

Iam & illa, quæ contra Astrologiam objectantur, diluamus. Visus est sibi Frischlinus miro quodam ingenij acumine invenisse novam quandam stropham, quâ universam naturalem Philosophiam veterem ab ipsis fundamentis convelleret, ac novam philosophandi rationem inveheret stabiliretque, quæ deinceps (si Dijs placet) Frischliniana diceretur. Est autem hæc. *Cœlis atq; astris nullas inesse qualitates manifestas*, adeò ut disertè scripserit. *Ridiculos esse quicunq; credunt Soli inesse calorem & vim calefactoriam. Vnde igitur calor iste aëris, qui in æstate existit? Est* (dicente Frischlino) *aëris qualitas non Solis, sed quæ à Sole excitatur per accidens, quando nimirum Sol luce sua* non calore *adventitium à terra frigus ex aëre profligat, & sic aërem ad naturam suam reducit, quæ est calida.* Hac stropha sua putavit Frischlinus se eludere posse omnia de Solis caliditate testimonia divina juxta atque humana.

Stropha Frischliniana.

Non

Non est autem digna res in qua refutanda multum operæ ponatur. Sola negatione concidit. Quàm promptum fuit Frischlino eam invenire: tam cuivis est promptum eam negando exibilare. Propter rudiores tamen ajo huic Frischlinianæ strophæ duo semper esse opponenda: 1. claritatem verborum quæ est in testimonijs divinis & humanis de calore Solis. Dicitur enim *psalmo 19. aliàs 18. vers. 7. Non esse qui se abscondat à calore ejus*, hoc est, non aëris sed Solis. Et *Eccles. 43. 4. Solem radios igneos exufflare, montes adurere, neq; posse quenquam hominum ejus ardorem sustinere.* Vnde Macrobius *lib. 4. in som. cap. 20.* attestatur: *Solem ignis ætherei fontem dictum esse.* 2. opponendus est Frischlinianæ strophæ sensus communis, qui omnibus in universum hominibus dictat, Soli inesse calorem & vim calefactoriam. Videmus palam vel manus interjectu calorem Solis posse à re quapiam arceri: id quod utiq; fieri non posset, si calor ille non Soli inesset sed aëri per se primò. Etenim aër manus aut alterius cujuspiam rei (puta folij hederæ, ut est in historia Ionæ) interjectu condensari equidem nequit: at Solis tamen calor impediri potest, atq; à re affecta arceri. Ionæ 4. 6.

Scio equidem magno conatu à Frischlino allegari *Aristotelem lib. 1. de cœlo cap. 3.* ut probet neq; cœlis neq; astris ullas inesse qualitates manifestas: sed ludit operam, totoq;, quod ajunt, errat cœlo. Nam licet Aristoteles istic loci cœlos & sidera alia in alia qualitatibus manifestis commutari negaverit instar elementorum, quæ commutari in se mutuò *lib. 2. de generat. & corrup. cap. 4.* ostendit: non tamen hinc

efficitur Aristotelem siderum qualitates manifestas negasse absolutè & simpliciter. Certè demens sit, qui qualitates manifestas cœlorum & siderum nolit distinguere à qualitatibus manifestis elementorum: quæ tametsi familiaritate atq; affinitate quadam inter se mutuò consentiunt, toto tamen genere diversas esse, non est ignorandum: quippe ipso Aristotele disertè calorem cœlestem genitalem à calore igneo seu elementari distinguente. *De generat. animal. lib. 2. cap. 3.*

Quòd si Frischlinus ingenuè citraq; calumniam sensit hanc fuisse Aristotelis sententiam simpliciter & absolutè, nullas cœlo atq; astris inesse qualitates manifestas: cedò cur dictum Aristotelicum *Homo generat hominem & Sol* tam facetè & svaviter (si Dijs placet) risit? cur tandem cœlum ab Aristotele quintum fuit constitutum elementum? cur calorem cœlestem genitalem ab igneo distinxit?

Sed enim esto, negaverit sanè cœli & siderum qualitates manifestas Aristoteles: obsecro plusné authoritas valebit hominis profani quàm ipsiusmet Spiritus sancti palam attestantis *Solem exufflare radios igneos, nec esse qui se abscondat à calore ejus? Ecclesiastici 43. 4. psalmo 18. aliàs 19. vers. 7.*

Alter locus Aristotelis *lib. 2. de cœlo cap. 7.* ubi inquit *Caliditatem à stellis lumenq; ideo fieri, quia aër ab illarum motione fricatur*, quanquam expressè non allegatur à Frischlino: tamen quia Motuluministas concernit, non videtur prætereundus. Dico autem locum hunc nihil facere pro Motuluministis: quippe qui ipsi hanc Aristotelis opinionem de lu-

mine

mine non amplectantur. Turpe enim fuerit dicere, astra duntaxat à confrictu micare, ac non potiùs hanc ipsis micandi vim à Deo esse inditam, quâ polleant vel citra affrictum & motum: quomodo novimus non minùs tum micuisse Solem cùm è regione Gibea staret immotus, quàm si & ab alijs cœlorum orbibus fuisset affrictus & vicissim alios ipse fricuisset. Modò realis ejusmodi cœlorum affrictus, qui, motibus primo & secundo inter se renitentibus, fiat, statuendus sit: de quo lis est inter Philosophos. Si ergo authoritas Aristotelis vacillat in lumine: certè neq; in calore firmam esse oportet. Ac meherculè cùm disertè ponat *unamquamq; stellarum ex hoc esse corpore in quo lationem habet:* consequeretur utiq;, quia cujusq; orbis corpus totum omnibusq; sui partibus & fricat & fricatur, oportere ob continuum attritum & lumen fieri continuum, tum & calorem. Iosue 10. 12.

Statuo igitur, quanquam tolerari forsan possit sententia hæc, Quòd aër à cœlorum affrictu incalescat, & vicissim Solis calor pariterq; & lumen incitatissimo mundi circumactu tum & proximorum orbium mutuo affrictu quodammodò extimuletur: tamen in eo graviter esse hallucinatum Aristotelem, quòd altiorem luminis & caloris non agnoverit originem quum in Sole tum alijs in astris: Itaq; procul à Christianorum scholis explodendam esse sententiam hanc Aristotelicam, unà cum illa, quâ mundi æternitatem asseruit.

Sed enim, si placet, fingamus sanè verissimam esse prædictam Aristotelis sententiam; cedò an à

partibus ſtabit Motuluminiſtarum? Nihil minus. Quicquid enim ad negandum calorem nativum Solis elicient: idem & ad aëris nativum calorem negandum valebit. Summa omnis huc redit, In toto Ariſtotele ne apicem quidem eſſe, quem in cauſæ ſuæ patrocinium evocare poſsint Motuluminiſtæ.

Scripturæ teſtimonia, quæ pro ſtropha ſua ſtabilienda, atq; aſtrorum vi quum genitali tum morbifica oppugnanda adducit Friſchlinus, hæc ſunt, Terra inquit, tertio die produxit herbam virentem: Ergo Sol quarto demum die creatus producendo gramini nihil confert. Scio D. Baſilium Antecedente hujus Enthimematis parte uſum fuiſſe adverſus Gentiles, qui omnia cauſis ſecundis attribuebant, ipſumq; adeò Solem adorabant, quando inquit, *Ideo Sole vetuſtior eſt Terræ exornatio, ut qui hactenus in errore fuerunt verſati, deſinant adorare Solem:* At concluſionem tamen Friſchlinianam non intulit. Equidem gravis ignorantia ejus ſit oportet qui aliam neſciat eſſe rationem Creationis & aliam Generationis, quarum illa immediata quidem fuit, hæc verò per media contingit: ut quæ in Creatione facta ſunt ſingula ſeparatim, mutuo auxilio conſpirent in Generatione, ad conſervationem Totius.

Aliud argumentum Friſchlinianum. Non cœlo ſed terræ maledixit Deus: Ergo cœlum animantibus morbos ingenerare nequit. Reſpondeo non terræ limitibus coërceri maledictionem, ſed reliqua etiam invaſiſſe elementa, adeoq; in ipſos uſq; cœlos penetraſſe. Rom. 8. Ait enim Paulus creaturas vanitati ſubjectas eſſe, & ceu exerto collo expectare redem-

redemptionem filiorum Dei. Petrus affirmat in illo die cœlos fore auri instar igne expurgandos, Moses *Levit. 26. & Deut. 28.* cœlos inter instrumenta numerat, per quæ populi sui scelera ulturus sit Deus: Quid igitur mirum, si pestilens siderum excretio quandoq; cœlitus demittatur? Et si aër maledictionis potuit labem contrahere: quidni obsecro eâdem & cœlum aspergi potuerit? 2. Pet. 3.

Sed enim inquit Ieremias, Nolite timere astra: Ergo astra nulla pollent nocendi vi. Perinde ac si dicam, Quia Scriptura ait non esse fidelibus timendam mortem: Ergo mortis simpliciter nullam esse vim nocendi. Nugamenta hæc sunt, non argumenta.

Tandem magno conatu magnas nugas dicit Frischlinus, quando non modò veteres plerosq; ridet, sed ipsum etiam Galenum impietatis insimulat hac potissimum de causa, quòd tradiderit magnam esse efficaciam Lunæ in locis Zodiaci quadratis: neq; ullum tamen interim argumentum profert ad impietatem hanc demonstrandam. Ne eandem identidem occinere cantilenam opus habeam, sufficere arbitror, quòd in theorematibus astronomicis prædictiones astrologicas impias superstitiosas & ridiculas, quippe falsas, rejecerim; dixerimq; in ipso orationis meæ titulo nil me tueri nisi quod aut rationibus physicis aut gravissimorum hominum experientia, procul omni superstitione, nititur. Quòd quatuor Zodiaci punctis, Sole per hæc decurrente, vis insit decretoria; Quòd itidem quorundam siderum quum ortus tum occasus decretorius

sit; observavit Hippocrates, nec vivit quispiam mortalium qui hanc observationem impietatis meritò insimulare possit. Quòd loca Zodiaci quadrata, Lunâ per hæc decurrente ac trigonum mutante, magnam vim obtineant in concitandis humoribus; observavit Galenus. Quòd itidem quadrata morbi tempora incidentia, Lunâ ea signa aut eorundem tetragona diametravé tenente, unde nascentem ægrum aut intemperata aut perniciosa siderum permistio aspexerat, sint periculi plena; & hoc Galenus observavit. Obsecro quæ hîc major possit esse impietas, quàm quando nautæ observant ad motum Lunæ mare vel intumescere, vel detumescere? Iam verò quòd anni temporum statum prævidemus & morbos manifestos indè scaturientes; id rationibus physicis nititur desumptis à naturâ stellarum, locorum Zodiaci, & configurationum. Quòd autem morbos prævidemus occultos: id rursum observatione nititur; ut quæ quorum siderum permistiones, quo in loco coëuntes, quos morbos occultos ingenerare animantibus soleant, advertamus. Hæc & similia quisquis impietatis insimulat, ac non potius pro pietatis habet adminiculis, tum verò magnam in his solidæ sapientiæ partem consistere agnoscit; ille sanè per me suo modo & more sapiat, atque eruditionis vanam auram apud rudem plebeculam venetur vel solo holoserícato pileo.

Coronidis loco illud indicare placet, quibus in locis vel maximè ingenij sui acumen ostentare voluit

voluit Frischlinus: in ijs factum esse vel maximè ridiculum, & maximis se intricasse absurditatibus.

Probat authoritate Rhodigini Cœlij *Calorem esse quandam Lucis qualitatem:* Cedò qui fit igitur, quòd Lucem Solis hac qualitate spoliet Frischlinus? & attenuationem comminiscatur, quæ sine calore fieri possit?

Omnem Lucis seu Luminis vim constituit duplicem unam propriam colluſtrandi, alteram per accidens attenuandi ea corpora quæ quarto quodam modo hanc attenuationem recipere habilia, seu apta sunt: Cedò qua igitur vi, vel nubilo obumbrante, ipsaq; adeò vel media tenebrosa nocte, Lotus Ægyptia per gelidæ aquæ profundum insequitur Solem? Qua item vi ferrum magnete imbutum, nulla existente aëris vel colluſtratione, vel attenuatione, versus cœli cardines contorquetur?

Lumen Solis Lunæ & stellarum est unum numero, in Sole quidem validius in reliquis verò imbecillius: Quî igitur fit quòd Solis Lumen validius non ducat Oceanum perinde atq; Lumen Lunæ imbecillius? Ex adverso, quî fit, quòd Lumen Lunæ propinquius non circumagat heliotropium, perinde atque lumen Solis remotius? aut Lotus Ægyptia non potiùs Lunam sequatur extra aquas quàm Solem sub aquis?

Si hæc vis cõsistit vel in colluſtratione vel in attenuatione; agè qui fit tandẽ quòd non alias etiã consimiles

miles res afficiat consimiliter? Cur non alij etiam flores colluſtrati & attenuato aëre imbuti ad nutum Solis circumaguntur? Cur non æs, orichalcum, aliaq; metalla magnete affricta, & ipsa versus utrumq; mundi polum hinc atq; hinc diriguntur?

Multa passim effutit Frischlinus de habilitate in quarto modo: Cedò verò cur nusquam explicat quibus in rebus illa habilitas consistat? Nos omnem affectionem qua res elementatæ afficiuntur cœlitus, diximus ab illis recipi, communem quidem familiaritate temperamenti, propriam verò proportione qua singulæ naturæ respondent elemento stellarum: quæ certè philosophandi ratio vetus est, ex Galeno deprompta & Aristotele philosophis Frischlino multo doctioribus.

Dicit reliquos cœlorum orbes à Sole planetarum medio colluſtrari quidem, at non calefieri: Quod ipsum quoq; figmentum suum novum nulla ratione suffulcit.

Vrget Frischlinus, cùm Luna suum lumen à Sole accipiat: eandem quoq; vim sortiatur necesse esse, quæ ineſt radijs solaribus; licet multo minorem. Concedo totum. Infert igitur præter vim quam à Sole Luna accipit nullam illi aliam ineſſe peculiarem. Peracutum meherculè argumentatorem! Negamus commentum hoc, dicimusq;, Quòd Luna humores fundit & trahit id fieri calore à Sole accepto; quòd autem fusos humores non absumat, id fieri ob imbecillitatem caloris: quòd deniq; humores augeat, id fieri ob peculiarem Lunæ naturam quæ est frigida & humida, unde frigidæ,

gidæ, gelidæ, humidæ & roſcidæ apud poëtas ſortita eſt epitheta. Etenim calor imbecillior agitare quidem humores poteſt, at non etiam augere. Quum igitur Luna humores non modò agitet ſed etiam augeat: hinc meritò non Ethnici modò philoſophi ſed & Chriſtiani, ac inter cœteros ipſus adeò D. Baſilius Lunam rebus non calorem duntaxat ſed & ὑγρότητα τινα, hoc eſt, humiditatem quandam conferre dixit. Varias autem & diverſas adeoq; contrarias uni Lunę ineſſe qualitates non eſt abſurdum, cùm idem in rebus etiam obſervemus ſublunaribus. Cedò enim quàm variæ ſunt unius roſæ (ut hanc pro exemplo capiamus) facultates? quam & refrigerare, & calefacere, & laxare & ſtringere nemo eſt qui ignoret. Vnus idemq; magnes unâ ſui parte ferrum verſus arcticum alterâ verſus polum antarcticum contorquet. Futile eſt igitur hoc Friſchlini cavillum ampliſsimas Lunæ vires in gyrum tam anguſtum coërcere volentis.

Ipſe prædicat admiranda Lunæ opera *lib. 5. cap. 1.* quæ nudæ vel colluſtrationi vel attenuationi attribuere ſtultum ſit. Notari volo vocabulum *nudæ*; nam Motum & Lumen vehicula eſſe virium aſtrorum agnoſco: & metonymicè aſtrorum vires ipſis aſcribi ſcio: ſed ſine alijs quas vehunt facultatibus, Oceanum ducere, flores & folia circumagere, humores in morbis, vitia in oculis, dolores in membris ciere, &c. perabſurdum eſſe judico.

Cùm Hippocrates non modò ortum obſervare Medicos jubeat ſed & *occaſum* ſiderum, præſertimq; Vergiliarum: obſecro annon extremæ inſaniæ fue-

rit occasui Vergiliarum vim attribuere aërem & colluſtrandi & attenuandi.

Complurium gentium obſervatio tenet, vulnus illi inflictum membro in cujus ſigno præſens Luna decurrit: ferè lethale evadere. Si hujus affectionis ratio vel in colluſtratione vel in attenuatione conſiſteret; jam utiq; id falſum eſſe oporteret tempore ſilentis Lunæ.

Folia ſalicis, populi, ulmi, ſolſtitio vertuntur ut alia facie quàm pridie cœlum aſpiciant: Si hoc fieret vel propter colluſtrationem, vel propter attenuationem; jam meherculè & aliarum arborum foliis id accidere oporteret, & alijs temporibus ante ſolſtitium.

Verba ſunt Friſchlini. *Non negamus tamen cœlo & aſtris vim quandam univerſalem ineſſe movendi hæc inferiora.* Si Friſchlinus per hanc *vim univerſalem* intelligit aliud quippiam præter colluſtrationem & attenuationem: jam ſibi contradicit. Sin verò per *vim univerſalem* nihil aliud intelligit quàm colluſtrationem & attenuationem: ſtultum fuerit nudæ colluſtrationi attenuationiq́ue tam diverſa opera tribuere in rebus quarum diſſimilitudinis ratio ab elementis reddi nequit. Cedò enim ecquid cauſæ eſſe poſsit, cur Solis colluſtratio attenuatioq́; heliotropiũ circumducat, alios flores non item? cur folia ſalicis ſolſtitio vertat, ac non etiam quercus? cur non æs ſed ferrum magnete imbutum cœli cardines alliciant? His & conſimilibus rebus ſi expedire ſe nequeunt aſſeclæ Friſchilini; tandem

ſanè

sanè victi manus dent & particulares etiam siderum vires agnoscant quum manifestas tum occultas.

Nullum est omnino testimonium à Frischlino allegatum, quod non contra ipsummet faciat, quàm diu putidum illud nuperum nudæ colluſtrationis attenuationisq; commentum disertis authorum sententijs non confirmatur.

Possem consimiles absurditates Frischlinianas colligere complures: sed sufficiunt istæ ad philosophiæ huic novæ & nuper natæ larvam detrahendam.

Illud postremo loco vide & mirare lector, quomodo verba Christi *Virtutes cælorum* explicârit nobis Frischlinus. Ait intelligenda esse de Intelligentijs motricibus, quas singulas præfectas esse singulis cælorum orbibus tradunt philosophi. Equidem fateor piam quidem esse hanc philosophorum sententiam, at necessariam esse non concedo; quòd præceptum quidem astris posuisse Deum dicat Scriptura, non autem cælorum orbibus singulas intelligentias præfeciſſe. Itaque ut non impugno sententiam hanc: ita nec aperta Scripturæ testimonia per eam contorqueri & convelli patior. Si virtutes animalium, stirpium, herbarum, metallorum lapidumque dicimus illas, quæ ipsis animalibus, stirpibus, herbis, metallis & lapidibus insunt: quidni & *cælorum virtutes*, non quæ à cælis separatæ sunt, sed quæ ipsis cælis insunt, intelligamus?

EPILOGVS.

VEla tandem colligo: Tu da mihi veniam Lector qui disputationis ceu æstu quodam abreptus ea liberiùs in altum laxârim, cui duntaxat littus sublegere erat propositum. Medicinæ ob oculos posui præstantiam: Astronomiæ dignitatem asserui: tùm verò harum duarum longè præclarissimarum artium indissolubile conjugium tanta rationum vi adstruxi, ut jam pudere meritò illos debeat, qui ajunt velle se in morborum curatione non planetas inspicere sed plantas: magna meherculè & Hippocratis & Galeni injuriâ, quorum se mentiuntur discipulos.

Capita in quibus institutæ disputationis nostræ cardo potissimum versatur, hæc fuerunt. Illud inprimis, Quòd cœlum atque astra qualitatibus manifestis juxta atq; occultis prædita esse asserui: observatò quidem, licèt qualitates manifestæ cælorum elementorumq; affinitate quadam mutua quâm familiarissimè sese complectantur: tamen ingens esse discrimen inter utrasq;.

Deinde quòd facultatum cœlestium vehicula, quibus vires suas rebus naturalibus generandis, afficiendis, corrumpendis, ac denique interimendis invehunt, constitui astrorum Motum & Lumen, tum vel maxime mundi Spiritum, prætereaq; elementorum ignis & aëris qualemcunque nativam efficiendi vim.

Quibus

Quibus quidem duobus capitibus positis: simul ea poni atq; astrui necesse est, quæcunq; de Astronomiæ usu in quacunq; Medicinæ parte dixi.

Aristoteles cùm cœlorum motus duplicem tradiderit usum, quorum alter in admotione & abmotione siderum, alter verò in aëris confrictione ad faciendum lumen & calorem consistat: illum quidem libenter recepimus, hunc verò liberè rejecimus: quod & lumen & calorem Soli aliunde nempe ex DEI creatoris potenti jussu inesse sciamus.

Frischlini de sola aëris calefactione in quarto modo commentum, quo in universa philosophia nihil unquam futile magis excogitatum fuit, & expresso DEI verbo & ipsi adeò sensui communi repugnare ostendi. Neque placet eandem mortiferam cramben denuò jam hîc recoquere.

Quin potius perplacet illam huc evocare Frischlini concessionem, quam posuit *lib. 4. c. 6.* his verbis: *Concessò* inquit (hoc est si concedatur) *quòd calor aëris & fervor æstivus Soli & radijs solaribus eorumq; rectitudini, per se primò & principaliter sit adscribendus, tanquam beneficæ & vivificæ causæ: Concessò item, quòd frigus aëris nocturnum, & humor roscidus Lunæ tribuendus sit per se & primò, tanquam causæ malignæ & frigificæ adeoq; morbificæ: Quid prohibet omnia concedere quæ Astrologi hinc colligunt? Si enim ingenia sequuntur temperamentum, ut Medici docent: si naturæ sequitur semina quisq; suæ: & si temperamenta sunt ex cœlesti quadam influentia, ut illi dicunt: (SOL ENIM ET HOMO CREDVNTVR ILLIS HOMINEM PROCREARE:) si denique in ipsis temperamentis multæ sunt δυσκρασίαι: Non video ego, quomodo Astrologorum placita de*

beneficis, maleficis & mediocribus planetis possint verè negari.

En tibi Lector propositionem hypotheticam Frischlinianam, cujus Assumptum liquidò probavi: primùm authoritate Scripturæ sacræ dicentis, *Solem exufflare radios igneos:* secundò authoritate complurium gravissimorum Scriptorum veterum juxta ac neotericorum; tertiò ipso communi sensu: quartò à compluribus absurdis & incommodis Frischlinianum commentum circumstantibus.

Sequitur igitur Conclusio: *Omnia esse concedenda, quæ Astrologi hinc colligunt: nec habuisse Frischlinum quo Astrologorum placita de beneficis, maleficis, & mediocribus planetis posset verè negare.*

Appulimus tandem in portum; itaque jactâ anchorâ orationis nostræ jam hîc cursum sistimus. Ordinem utcunq; servasse me oratorium confido: solâ quod prolixitate peccaverim, ipsa sub manu crescens materia effectum dedit.

Tu da veniam docte Lector & plaude.

DIXI.

FINIS.

Errata typographica, quæ primis 17. quaternionibus irrepserunt: reliqua leviora quàm ut huc ascribi commereantur, æquus Lector inter legendum ipsus emendabit.


Paginâ primâ, linea ultimâ, insuper ipsa: lege insuper ab ipsa. Pag. 9. lin. 4. glandula pinedis: lege glandula pinealis. Pag. 10. lin. 22. pandent: lege pandant. Pag. 14. lin. 26. è furca dependisset: lege pependisset. Pag. 22. lin. 18. noventur: lege moventur. Pag. 25. lin. 11. niminùm: lege minimùm. Pag. 31. lin. 14. decretoriorum: lege decretorium. Ead. pag. lin. 18. conjunctiones q_3: dele q_3. Paginis 20. 21. 22. 23. 24. in fronte folij de Medicinæ præstantia: lege de Astronomiæ dignitate. Pag. 39. lin. 21. astronomiæ usu: lege de Astronomiæ usu. Pag. 40. lin. 4. adornavit: lege adornavi. Pag. 46. lin. 16. quæ: lege qui. Pag. 49. in marg. alterutram: lege alterutras. Pag. 55. lin. penult. impartitur: lege impertitur. Pag. 71. lin. 13. jocatur: lege vocatur. Pag. 79. lin. 25. hîc: lege huc. & dele simile. Pag. 81. lin. 16. habent: lege habeant. Pag. 85. lin. 14. elementatis: lege rebus elementatis. Pag. 88. lin. 2. Mycrocosmi: lege Mycrocosmo: Ead. pag. lin. 24. Paracelcistæ: lege Paracelsistæ. Ead. pag. lin. 29. aurum: lege auro habendo. Pag. 101. lin. 26. sunt: lege sint. Pag. 102. lin. 26. potentiam: lege potentem. Pag. 103. lin. 22. ulni: lege ulmi. Pag. 113. lin. 1. fecerit: lege ferierit. Ead. pag. lin. 23. alter: lege altera. Pag. 115. lin. 12. allegati: lege alligati. Pag. 126. lin. 7. ecphymata: lege ecthymata. Pag. 134. lin. 26. Si: lege Sic pectus. Pag. 136. lin. 19. plurima: lege pura.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727145347/phys_0235
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727145347/phys_0238
DFG

b. VI. p 214.


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727145347/phys_0239
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727145347/phys_0240
DFG




http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727145347/phys_0241


http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn727145347/phys_0242



Universitäts Bibliothek
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn772145347/phys_0243
DFG



http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn727145347/phys_0244

Errata typographica, quæ primis 17. quaternionibus irrepserunt: reliqua leviora quàm ut huc ascribi commereantur, æquus Lector inter legendum ipsus emendabit.

Paginâ primâ, linea ultimâ, insuper ipsa: lege insuper ab ipsa. Pag. 9. lin. 4. glandula pinedis: lege glandula pinealis. Pag. 10. lin. 22. pandent: lege pandant. Pag. 14. lin. 26. è furca dependisset: lege pependisset. Pag. 22. lin. 18. noventur: lege moventur. Pag. 25. lin. 11. niminùm: lege minimùm. Pag. 31. lin. 14. decretoriorum: lege decretorium. Ead. pag. lin. 18. conjunctiones $\bar{q}_3$: dele $\bar{q}_3$. Paginis 20. 21. 22. 23. 24. in fronte folij de Medicinæ præstantia: lege de Astronomiæ dignitate. Pag. 39. lin. 21. astronomiæ usu: lege de Astronomiæ usu. Pag. 40. lin. 4. adornavit: lege adornavi. Pag. 46. lin. 16. quæ: lege qui. Pag. 49. in marg. alterutram: lege alterutras. Pag. 55. lin. penult. impartitur: lege impertitur. Pag. 71. lin. 13. jocatur: lege vocatur. Pag. 79. lin. 25. hîc: lege huc. & dele simile. Pag. 81. lin. 16. habent: lege habeant. Pag. 85. lin. 14. elementatis: lege rebus elementatis. Pag. 88. lin. 2. Mycrocosmi: lege Mycrocosmo: Ead. pag. lin. 24. Paracelcistæ: lege Paracelsistæ. Ead. pag. lin. 29. aurum: lege auro habendo. Pag. 101. lin. 26. sunt: lege sint. Pag. 102. lin. 26. potentiam: lege potentem. Pag. 103. lin. 22. ulni: lege ulmi. Pag. 113. lin. 1. fecerit: lege ferierit. Ead. pag. lin. 23. alter: lege altera. Pag. 115. lin. 12. allegati: lege alligati. Pag. 126. lin. 7. ecphymata: lege ecthymata. Pag. 134. lin. 26. Si: lege Sic pectus. Pag. 136. lin. 19. plurima: lege pura.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn727145347/phys_0245
DFG